

# Mariologia Patristica -Patre Syri

**APHRAHAT  
EPHRAEM-I  
EPHRAEM-II  
EPHRAEM-III  
IACOBUS Bathnensis  
SEVERUS Antiochenus**

## ASTERIUS Sophistes († post 341)

IN PSALMUM XIII<sup>1</sup>

<sup>PG  
55, 555</sup> 4. [...] Ἰωάννης γυμνὸς ἀναχωρεῖ, Πέτρος ἀρνεῖται, οἱ μαθηταὶ φεύγουσι, τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρίας τὴν ψυχὴν ἡ ὁμοφαίλα τῆς ἀμφιβολίας διέρχεται. [...] Καὶ ἐπληροῦτο τό· «Δικαιοσύνη ἐκ τοῦ οὐρανοῦ διέκυψεν». Ἐκ τοῦ Πατρὸς ὁ Χριστός· «Ἀλήθεια ἐκ τῆς γῆς ἀνέτειλεν»· ἐκ τῆς παρθένου ὁ Κύριος.

<sup>PG  
55, 555</sup> 4. [...] Ioannes nudus recedit, Petrus negat, discipuli fugiunt: 205 ipsius Mariae matris animam gladius dubitationis pertransit. [...] Et impletum est illud, *Iustitia de caelo prospexit.*<sup>2</sup> Ex Patre Christus, *Veritas e terra orta est:* Dominus ex virgine.

## S. APHRAHAT Syrus († ca 345)

DEMONSTRATIONES<sup>3</sup>

<sup>PS  
I, 130</sup> Demonstr. III, 14. [...] Sicut autem in oratione ieunii eius ad istum venit, ita quoque Zachariae preces ille Gabriel Deo representavit, quando Iohannis nuntiavit ei nativitatem. Ait enim ei: *Exaudita est deprecatio tua ante Deum.*<sup>4</sup> Item et Mariae preces obtulit Deo, eique Christi nativitatem evangelizavit, dicens: *Invenisti gratiam ante Deum.*<sup>5</sup> \* Neque aliter invenit Maria gratiam, nisi ieunio et oratione sua.

<sup>PS  
I, 418</sup> Demonstr. IX, 5. Hi sunt humilitatis amatores, qui perfectam concordiam cum omnibus servant. Humiles filii sunt Altissimi et fratres Christi, qui, postquam adnuntiatus est, ad nos, pacis gratia, venit, eumque Maria propter humilitatem suam suscepit. Cum enim Mariam beatissimam Gabriel evangelizavit, ita dixit: *Pax tibi, benedicta inter mulieres.*<sup>6</sup> Pacem ergo Gabriel sumpsit, Fructum benedictum detulit, dilectaque Proles in Maria seminata est. Illa autem

<sup>1</sup> Exstat inter *spuria* Chrysostomi, sed est Asterii Soph. Cf. Lau 162.

<sup>2</sup> Ps. LXXXIV, 12.

<sup>3</sup> «Demonstrationes» editae uti «Sermones S.P.N. Iacobi Nisibeni», Romae 1756, a Nicolao Antonello, sunt S. Aphrahat Syri. Cf. G. RICCIOTTI: *Afrate*, in «En. Catt.», vol. I, 377.

<sup>4</sup> Le. I, 13.

<sup>5</sup> Le. I, 30.

<sup>6</sup> Le. I, 28.

Dominum laudavit et magnificavit *quia respxerit humilitatem ancillae suae*, \* superbi autem et potentes ei non placuerunt; *et Altissimus exaltat omnes humiles.*<sup>1</sup> Vide ergo, carissime, ad humiles pacem accurrere.

- 208 Demonstr. XXI, 9. [...] Ioseph namque a patre suo vestitus est tunica fimbriata; Iesum autem Pater eius corpore induit de Virgine [adsumpto].<sup>PS I, 954</sup>
- 209 10. [...] Maria stabat super ripam fluminis, Moyse aquis innante; Maria peperit Iesum, Gabriele angelo ei annuntiante.<sup>PS I, 959</sup>
- 210 Demonstr. XXIII, 20. [...] Iacob genuit Ioseph, et Ioseph vocatus est pater Iesu Christi; Jesus autem natus est de Maria virgine, e semine domus David, de Spiritu sancto, sicut scriptum est: *Ioseph cum Maria despōnsata sibi, ambo de domo David.*<sup>2</sup> Et Apostolus testatur *Iesum Christum fuisse ex Maria, de semine David, in Spiritu sancto.*<sup>3</sup> Ioseph pater Iesu appellatus est, licet non sit ille de ipsius semine natus; verum paternitatis nomen ab Adam usque ad Ioseph \* per sexaginta et tres generationes derivatum est. Nomen paternitatis a Ioseph sublatum est, et Christo impositum. De Ioseph igitur nomen paternitatis, de Iohanne nomen sacerdotii accepit, et de Maria corpus induit, et nomen generationis suscepit.<sup>\*66</sup>

## MARIUS VICTORINUS Afer (ca 300 † post 362)

### ADVERSUS ARIUM

- 211 Lib. I, XXXV. [...] Λόγος est ad Deum, in confessio est. Quid est λόγος? Per quem omnia, et in quo omnia, et in quem omnia; istum esse et Iesum in confessio est. Quod λόγος est filius Dei, filius autem Jesus de quo dicit Paulus: *Qui nos eruit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii charitatis suae.*<sup>4</sup> Quis igitur iste filius? Ipse, inquit, *in quo habemus redēptionem, per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum*<sup>5</sup> nostrorum. Iste qui est? Qui natus est ex Maria. Quid deinde? Istud solum? Numquid maxime quod in eo, qui ex Maria erat? Erat et ante quam ex Maria. Quid autem inducit,<sup>6</sup> *qui est imago Dei?* Numquid hoc solum, de Maria? Non:

<sup>1</sup> Lc. I, 48, 51, 52.

<sup>2</sup> Lc. II, 4, 5.

<sup>3</sup> Rom. I, 3, 4.

<sup>4</sup> Coloss. I, 13.

<sup>5</sup> Ibid. 14.

<sup>6</sup> Ibid. 15.

● EUSEBIUS EMESENUS (†ca. 359): PG 86 513, 520, 545.

in Salvatorem postea credentes ex Virgine natum, non modo existere credunt, imo vero ipsi eamdem colunt, quod tamen ethnici qui adhuc in idololatria permanent, credere nolunt.

### S. EPHRAEM Syrus (ca 306 † 373)

#### EVANGELII CONCORDANTIS EXPOSITIO

- <sup>EC</sup><sub>8</sub> Cap. I. [...] Zacharias accessit ad angelum, ut doceret, filium suum minorem esse angelo. Ad Mariam vero ipse venit angelus, ut ostenderet, eius filium esse dominum angeli. In templum venit angelus, ne praetextus praebetur eis qui mendacii praetextum quaerabant. Ad Elisabeth angelus non venit, quia Zacharias erat genitor Ioannis; ad Iosephum autem Gabriel non venit, quia Maria sola erat genitrix Unigeniti. Gabriel ad Elisabeth, cui erat maritus, non venit, ad Mariam autem venit, ut nomine suo locum expleret mysterii viri. <sup>289</sup>
- <sup>EC</sup><sub>15</sub> [...] De Elisabeth autem scriptum est, quod se absconderit quinque menses, donec scilicet membra filii sui formarentur, ut laetabundus coram Domino suo exultaret, et quia Mariae annuntiatio prope erat. <sup>290</sup>
- <sup>\*16</sup> *Mense sexto;*<sup>1</sup> numerat enim Evangelista tempus, ex quo Elisabeth concepit. *Dabit ei Dominus Deus sedem David,* videlicet, quia praedictum erat: *Non deficit dominator et princeps, donec veniet.*<sup>2</sup> Et quum angelus eam docuisset, omnia Deo esse facilia, dicens: *Et Elisabeth soror tua concepit in senectute sua,* tunc dixit Maria: Si huic ita contigit, *ecce sum ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Licet propterea quod Angelus ad Mariam dixit: «Elisabeth soror tua», opinentur, Mariam ex domo Levi esse, tamen dicendum est, in una tantum serie proavorum prophetiam constitutam fuisse. Permansit genus David usque ad Mariae sponsum Iosephum, cuius generatio naturalis fuit. Propter genus David haec gloria facta est, quoniam in Christo et semen et genus eius perfectum est. Tacet autem Scriptura de Mariae genere, quia viri genus numerare et recensere solet. Si moris fuisset, matrum \* genus declarare et ostendere, recte aliquis et de genere Mariae quaereret. Quum autem Dominus una cum regno etiam sacerdotium abrogaturus esset, utrumque genus simul monstravit Iudee per Iosephum et Levi per Mariam. Rursus David respectu patris, a quo Christus oriturus erat, in prophetia dixit: *Tu es sacerdos in aeternum secun-*

<sup>1</sup> Le. I, 26-38.

<sup>2</sup> Ps. CIX, 3.

*dum ordinem Melchisedech.* Quodsi, quia Scriptura dixit: « Elisabeth soror tua », ideo hoc dictum esse putas, ut manifestaretur, Mariam esse ex domo Levi, alio loco eadem Scriptura dixit, utrumque, Iosephum et Mariam, esse ex domo David. Sed non dixit angelus ad Mariam: Tu es soror Elisabeth, sed *Elisabeth soror tua*.

Si Maria ex alio genere esset, falsum esset, quod dicitur: *e domo David*, et quod dixit angelus: *Dabit ei Dominus Deus thronum David patris sui*. Mariae filius est, et non Iosephi. Itaque non aliunde in carne apparuit, quam ex David, dicente Scriptura: *Germinabit virga ex radice Iesse, germinabit et florebit flos ex radice eius.*<sup>1</sup> Et Apostolus testatur: *Dominus noster Iesus Christus ex Maria factus est, ex semine domus David et reliqua.*<sup>2</sup> Rursus scribit ad Timotheum: *Memor esto Iesu Christi qui a mortuis resurrexit, qui factus est ex semine David, et reliqua.*<sup>3</sup> Porro invenimus, genera Iudee et Levi \* invicem commixta esse, per Aaronom, qui sororem Naassonis, <sup>\*17</sup> ducis domus Iudee, in matrimonium sumpsit, et per Ioiadam sacerdotem, qui filiam Ioram principis domus David uxorem duxit.<sup>4</sup> Caeterum ipsum verbum angeli, qui propinquam cognationem Mariae et Elisabeth memorat, testatur, has tribus per matrimonia mixtas esse.

Et surgens abiit Maria ad Elisabeth, ut disceret, num revera ita ei factum esset, et ut de hoc certior facta, de eo quod ad se spectabat, non dubitaret. Porro Maria surgens abiit ad Elisabeth, quae minor ea erat, sicut et Dominus ad Ioannem venit. *Unde mihi hoc, quod venit mater Domini mei ad me?*<sup>5</sup> Videns Maria, etiam alios de donis sibi datis gloriari, Deum laudans dixit: *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*<sup>6</sup> Ioannes ergo quum adhuc in lumbis Zachariae esset, sicut Levi in lumbis Abrahami, Domino iam ministrait eumque expectavit, quasi flos mensis Arek (Martii), tacite praedicans de uva, quae expressa est in medio Ierusalem. Et quemadmodum flos quinque mensibus praecedens, donec sanguis uvae fieri incipit, ita et Ioannes prius conceptus est, ut conceptionem Adorandi adorando praedicaret. *Beata erit, quae credit, quia fiet impletio omnium verborum, quae facta sunt ei a Domino.*<sup>7</sup> \* Quum <sup>\*18</sup> Maria in abscondito sibi dicta ad Elisabeth rettulisset et haec illi

<sup>1</sup> Isa. IX, 1.

<sup>2</sup> Rom. I, 3.

<sup>3</sup> II Tim. II, 8.

<sup>4</sup> II Chron. XXII, 11.

<sup>5</sup> Le. I, 43.

<sup>6</sup> Le. I, 48.

<sup>7</sup> Le. I, 45.

congratulata esset, quod credidisset et perficerentur ea quae prophetae eorumque discipuli audissent, tunc Maria fructum eorum quae ab angelo et ab Elisabeth audierat, suaviter protulit et: *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum* etc.<sup>1</sup> Verbis Elisabeth: *Beata quae credidit*, Maria sua verba opposuit: *Beatum me dicent omnes generationes*. Hoc igitur tempore et his verbis Maria novum regnum praedicare coepit. Post tres autem menses in domum suam reversa est hac ex causa, ne Dominus ante servum suum quasi famulus staret. Atque ad virum suum venit, ut res, quomodo se haberet, pateficeret; si enim humanum foetum in utero portasset, fugisset potius a viro suo.

Concepit Elisabeth mense Sahmi, postquam Zacharias dies ministerii et officii sui complevit. Annuntiatio Mariae evenit decimo die mensis Arek, sicut illa Zachariae decimo die mensis Hori. *Hic mensis sextus est illi*. Lex praecepit, ut decimo die mensis Arek includerent agnum (paschalem). Eodem die agnus verus in utero virginis inclusus est, quo tempore lux potitur imperio, et per hoc docuit, se venisse, ut Adami nuditatem obtegeret. Natus est autem die sexto mensis Chaloz iuxta graecam computationem, quo tempore sol vincere incipit, ostendens diabolum victum esse et horinem viciisse in Eo qui omnia vincit.

EC  
19

291

Exultavit prae gaudio Ioannes, munus praeconis sibi datum significans. Gaudens exultavit infans sterilis ante infantem virginis. Quaesivit Ioannes matris suae linguam, qua de Domino diceret prophetiam. Ac propterea per sex menses, donec membra infantis perfecta essent, conceptus Elisabeth abscondebatur Mariae, ut infans ante Dominum suum laetabundus exiliret et exiliendo Mariae testis fieret. Exultatio autem infantis in utero matris non ab ipso infante effecta est, nec inde, quod quinque mensium erat, provenit, sed ut gratia in utero sterili, qui eum conceperat, se revelaret et Virginis quoque uterus magnam cognatae suae gratiam cognosceret, mundusque crederet, filios earum per vocem annunciantis Gabrielis, qui utriusque quasi colonus erat, conceptos esse. Quia igitur Ioannes, quem exultaret, clamare et de Domino suo testificare non poterat, mater eius dicere coepit: *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui*.<sup>2</sup> In emortuo utero Dominus noster praeconem suum praeparavit, ut ostenderet, se mortuum Adamum quaesitum venisse. Vivificavit prius uterum Elisabeth, et postea corpore suo vivificavit sepulcrum Adami.

<sup>1</sup> Lc. I, 47.<sup>2</sup> Lc. I, 42.

Elisabeth in senectute peperit ultimum prophetarum, et Maria in iuvenili aetate Dominum angelorum. Filia Aaronis peperit vocem clamoris in deserto, et filia regis David Verbum regis coelestis. Uxor sacerdotis peperit angelum faciei eius, et filia David fortem Deum terrarum. Sterilis peperit eum qui peccata remittit, et virgo eum qui tollit peccata. Elisabeth peperit eum qui reconciliat homines per poenitentiam, et Maria genuit eum qui purificat terras ab immunditia.

**292** Cap. II. *Generatio Iesu Christi sic erat. Quum desponsata esset* <sup>EC</sup><sub>20</sub> *mater eius Maria Iosepho, et antequam data esset viro, inventa est gravida a Spiritu sancto.*<sup>1</sup> Hoc Evangelista non in sensu profano dixit, sicut gentiles in suis historiis fabulantur, deos suos ita abieciros fuisse, ut turpi oblectationi cupidinum et filiorum contra naturam procreationi se dederent. Ne igitur et tu, \* quando hoc de Maria audis, talia suspiceris, qualia gentiles fabulantur, addit, eam gravidam inventam esse a Spiritu, non autem ex coniugio eam peperisse. Nam per sanctam eius conceptionem aditus dabatur divinae clementiae, ut habitaret in omni carne. Quod autem Maria prius desponsata est et nomen viri sui accepit et dein gravidata est, id propter seriem regum factum est, quia impossibile erat, ut infans nomine matris suae genealogiae inscriberetur, hac autem ratione filius David regibus adscriptus est. Vel propter mentem pravorum hominum id factum est, qui calumniam fornicationis Mariae ingererent, quare viro miti data est, qui eam, quum praegnans conspiceretur, retineret, et quum pareret, e domo non expelleret, sed cum ea habitaret et calumniis oppressae socium voluntarium se exhiberet. Testis hic erat Mariae apud omnes, filium eius non ex adulterio ortum, sed ex virtute Spiritus conceptum esse.

**293** Natus est autem sine viro. Quemadmodum ab initio Eva ex <sup>EC</sup><sub>21</sub> Adamo sine coniugio nata est, ita Maria Iosepho et virgo et uxor erat. Eva peperit occisorem, ideo Maria peperit vivifikatorem. Illa peperit eum qui effudit sanguinem fratris sui, haec peperit eum cuius sanguis a fratribus suis effusus est. Illa vidit eum qui per maledicta terrae tremens et profugus factus est, et haec vidit eum qui maledicta sustulit et in ligno crucis clavis affixit. In virginis conceptione disce, quod, qui sine coniugio Adamum ex virginea terra protulit, is etiam Adamum secundum in utero virginis formaverit. Et quia primus homo in uterum matris suae redierat, per hunc secundum, qui in uterum matris suae non redibat, reductus est ille primus, qui in utero matris suae sepultus est.

<sup>1</sup> Matth. I, 18.

<sup>EC</sup>  
<sup>22</sup> Maria Iosepho persuadere studebat, conceptionem suam a Spiritu esse, at ille non assentivit, quia res erat inaudita et omnino nova. Quum Ioseph vultum eius hilarem, uterum vero tumidum videret, pro sua iustitia cogitabat, ut diffamacioni et opprobriis eam non exponeret, sed tacite dimitteret, quia neque peccatum eius noverat, neque de conceptione eius, unde esset certus factus erat. Quapropter apparuit ei angelus et dixit: *Ne timeas.* Quod si dubitas, Isaiam audi prophetam dicentem: «Ecce virgo concipiet», et Daniel dicit: *Lapis dissectus sine manu.*<sup>1</sup> Quod non est simile illi dicto: «Aspicite in montem et vallem», quo in loco virum et feminam innuit, hic vero dixit: «Sine manu». Sicut Adamus in creatione Evaem vicem patris et matris explevit, ita et Maria in generatione Domini nostri.

<sup>\*23</sup> *Ioseph, qui vir iustus erat, noluit traducere Mariam.*<sup>2</sup> Sed ecce, iustitia eius inimica et contraria est legi, quae dixit: «Manus tua primum incipiet lapidare eam», ille vero eam occulte dimittere voluit. At Ioseph noverat, conceptionem hanc singularem esse et res a condicione mulierum et a statu gravidarum nuptiarum alienas accidisse, quae omnia indicia ei praebuerunt, unde cognosceret, a Deo hanc rem factam esse. Nunquam enim alicubi in Maria rem impudicam animadverterat, nec poterat ei non credere, quae multa testimonia habebat, Zachariam mutum, Elisabeth praegnantem, angeli annunciationem, exultationem Ioannis et prophetiam patrum eius; haec enim omnia cum aliis multis de conceptione virginis clamabant. Quamobrem ex iustitia cogitavit, ut tacite eam \* dimitteret. Si enim cognovisset, conceptionem eius non a Spiritu Sancto esse, eam non traducere haud iustum fuisset.

<sup>EC</sup>  
<sup>23</sup> Attamen bene sciens, hoc opus Dei, etsi in se mirabile, aliis tamen esse incredibile, mente sua diiudicavit, iustum esse, ut eam dimitteret. Rursus cogitavit, fieri posse, ut tantum opus ullo modo macula afficeretur, si invicem cohabitarent. Et uberior secum deliberans dixit: Haud scio, an mihi nullum peccatum oriatur, si pater appeller divini nati. Et timuit habitare cum ea, dicens: Ne forte dehonestem nomen virginis. Propterea dixit ei angelus: *Ne timeas, accipere Mariam.* Prosequitur Scriptura: *Sancte habitabat cum ea,* etc.<sup>3</sup> Et ideo, ut nonnulli dicunt, Zachariam occiderunt, quia Mariam ad latus templi conservabat, nam virgines illae ad unam partem templi congregabantur. Alii dicunt, Zachariam, quum in caede infantium eius filius ab eo exigeretur, quia illum per fugam in de-

<sup>1</sup> Dan. II, 34.

<sup>2</sup> Matth. I, 19.

<sup>3</sup> Matth. I, 24.

sertum servaverat, occisum esse ante altare, sicut Dominus dixit. Dantur qui dicere audeant, Mariam post nativitatem Salvatoris uxorem Iosephi fuisse. At quomodo fieri potuit, ut ea quae domus fuit et habitatio Spiritus, et cui divina virtus obumbravit, postea coniux mortalis hominis fieret et in doloribus iuxta similitudinem primae maledictionis pareret? Quum enim Maria benedicta est in mulieribus, per eam soluta sunt maledicta \* originalia, quibus filii in doloribus et maledictis pariuntur. Quae in his doloribus parit, non potest vocari benedicta. Sed sicut Dominus intravit portis clausis, eodem modo ex utero virginali exiit, quia haec virgo sine partus doloribus realiter et vere peperit. Si propter Noe bestiae castae et mansuetae factae sunt in arca, decuit etiam virginem a propheta praedictam, in qua Emmanuel habitavit, ad connubium non accedere. Bestiae Noe ex necessitate id fecerunt, Maria ex voluntate. Sicut concepit in puritate, ita in sanctitate permansit.

Si filii Aaronis, quia ignem profanum inferebant, occisi sunt, quantis poenis et ista affecta esset? Et si lex mercatoribus aquam vino immiscentibus poenas indicit, quanto magis et hic sententia damnationis sequuta esset? Si autem propterea quod quidam discipuli fratres Domini nominantur, existimant, hos filios fuisse Mariae, sciant, quod et ipse Christus appellatus est filius Iosephi, non solum a iudeis, sed et a Maria matre eius. *Eece ego, ait, et pater tuus tristes et anxii circumeuntes quaerebamus te.*<sup>1</sup> Quod angelus Iosephum iussit Mariam uxorem accipere, factum est, ut suspicionem ex mentibus expelleret eorum qui eam calumniaturi essent, maxime autem, ut Ioseph eam custodiret, ne ab eis qui de angelo propter conceptum suspicionem habebant, occideretur. Magnum quippe scandalum eis erat virginis partus, quia credebant et sciebant, in eius partu urbem ipsorum dirutum et sacerdotium et regnum sublatumiri. Idecireo etiam prophetam Isaiam occiderunt, quia virginem paritram esse annunciaverat. Virgo itaque peperit primogenitum et virginitas eius integra et inviolata permansit. \* Ipse autem primogenitus nos in baptismo genuit et donis suis primogenitos fecit; in sinu enim baptismi non datur maior et minor, quia omnes per fidem primogeniti sumus, et in nobis impletum est, quod Scriptura dicit: *Omne primogenitum, quod aperit uterum, sanctum Domino vocabitur.*<sup>2</sup> Etenim nos per peccata sordidos et quasi aerugine corruptos baptismus concipit et ex utero suo ab iniquitate purificatos regenerat.

*In sanctitate habitabat cum ea, donec peperit primogenitum.* Prae-

EC  
\*<sup>25</sup>

<sup>1</sup> Le. II, 48.

<sup>2</sup> Exod. XIII, 2.

postere dicta sunt verba. Nam prius sumpsit eam et postea habitavit cum ea in sanctitate; sed ita legitur. « Habitavit cum ea in sanctitate et sumpsit eam. Sumpsit eam, dicit Scriptura, quia post conceptionem vir eius nominatus est. Vel verba: In sanctitate habitabat cum ea, ita intelligentur, quod nunquam concupiscentia ex adspectu illius in cogitationem eius venit. *Donec peperit primogenitum*, i. e. in nativitate primogeniti crediderunt neveruntque, quod res est non humanae naturae, sed genitura divina.

Rursus: In sanctitate habitabat cum ea, donec peperit primogenitum. Haec sanctitas necessitatis erat, etsi accedente eorum voluntate, sed sanctitas, quam servabant post nativitatem Domini nostri, libertatis eorum erat. Hoc necessitatis tempus definivit eiusque finem indicavit dicens: « Donec ». Porro: In sanctitate habitabat cum ea, donec peperit primogenitum. Quod si ita est, \* consequi videtur, Iosephum post partum non in sanctitate cum illa habitasse, quia dixit; « Donec ». Sed « donec » hoc loco non terminum quemdam significat, quemadmodum etiam in illo loco: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedes tuos.*<sup>1</sup> Secus enim diceretur, quando inimici sub pedes eius positi sint, eum surrecturum esse. In sanctitate habitabat cum ea. Nonne ergo coniugium sanctum est, testante Apostolo et dicente: *Thorus eorum sanctus est?*<sup>2</sup> Si vero dicunt: Ecce fratres Domini nostri in Evangelio nominantur, respondeo: Quia Dominus noster Mariam Ioanni tradidit, ostendit, nec hos filios Mariae, nec Iosephum eius maritum fuisse. Quomodo enim is qui dixit: « Honora patrem tuum et matrem tuam », matrem a filiis separasset et Ioanni tradidisset?

EC  
28

296

\*29

[...] *Et in signum contradictionis et tuam ipsius animam,*<sup>3</sup> quia diversa cogitabant de eo multi haeretici. Nonnulli enim dicebant: Corpus impassibile assumpsit, alii dicebant: Non in vero corpore dispensationem suam perfecit. Alii corpus eius dicunt terrestre, alii coeleste. Iterum nonnulli dicunt: Prius extitit, quam terra, alii vero: Initium eius in Maria fuit. *Pertransibit gladius*. Gladius quippe, qui sepivit paradisum propter Eram, tollebatur per \* Mariam. Vel: « *Pertransibit gladius* » i. e. negatio. Sed graecus clare dicit: Revelentur in multis cordibus cogitationes. Nimirum eorum qui dubitabant. [...] Admirabatur enim, aiunt, Maria et de nativitate et de conceptione eius atque aliis narravit, quomodo conceperit et quare pepererit, et nonnulli, admirantes verbum eius, confortabantur, alii vero erant, qui de eo dubitarent.

<sup>1</sup> Ps. CIX, 1.<sup>2</sup> Hebr. XIII, 4.<sup>3</sup> Lc. II, 35.

**297** Cap. V. *Factae sunt nuptiae in Cana Galilaeorum. Et cum Dominus eo veniret, dicit ad eum mater: Vinum non habent hic. Dicit ei Iesus: Quid est mihi et tibi, mulier? Non mihi tempus advenit,*<sup>1</sup> id est, ego non vi eis me ingero, sed ipsi animadvertant, vinum defecisse et omnes bibere expectent, idque dixit, ut donum suum in oculis eorum gloriosum appareret. Praeproperans erat Maria, qua de causa eam edocuit. Aut: *Non mihi tempus advenit*, tempus vide-licet mortis eius. Quia nimurum convivae inebrinati erant, si modo violento dona sua in eos effudisset, perpessiones vix evasisset; tum enim initium Evangelii eius fuit.

Et quia Maria cogitabat, causam miraculorum eius esse, ut gloriam et honorem apud turbas iudeorum sibi pararet, ideo dixit: *Non mihi tempus advenit*. Etenim non ea ratione, qua Maria opinabatur, rem fecit, sed potius hanc eius cogitationem reprimere voluit. Caeterum Maria miraculi, quod facturus erat, conscientia fuit, quia Scriptura dicit: «Omnia conservabat in corde suo», et iterum: *Quodcumque dixerit vobis filius meus, facite*. Vedit Maria, vinum \*defecisse, et scivit, non sine causa eum ad has nuptias venisse. <sup>\*52</sup> Graecus scribit: Recubuit et defecit vinum. Et quum mater hoc ei dixisset, respondit Iesus: *Non mihi tempus advenit*, id est, certe advenit. Maria ab eo edocebat, ibi signum eum facturum esse, et quum Jesus dubitationem eius vituperasset, dixit ea servis: *Quodcumque dixerit vobis, facite*.

Porro Maria anxia fuisse dicitur, quia ii qui nuptias celebrabant, ob eius adventum vinum afferre debebant, et: Spernent te, ait, quia tua causa irrisui habentur. In contemptum eos induxisti, quia audient, te venisse, quum eis vinum defecisset.

Dicit ad eum: *Fili, vinum non habent hic*. Et dicit ei Iesus: *Quid est mihi et tibi mulier?* Quid mali Maria dixerat? Maria, aiunt, de verbo eius dubitavit, quia dixit: Vinum non habent hic; ideo: *Quid mihi*, ait, *et tibi mulier?* Mariam intellexisse, Christum miraculum esse facturum, quum ei ita responderet, ex eo patet, quod dixit ad ministros: *Quodcumque dixerit vobis, facite*. Rursus: *Non mihi tempus advenit*, nimurum, postquam in deserto potentiam suam inimico devicto monstravit, ad nuptias mirabiles, ut gigas praeclara gesturus, se contulit.

Accurit Maria, ut pro Apostolis ministra voluntatis eius fieret, et quia ei facultas non erat, neque \*praecipiendi, neque verbum eius praeveniendi, restitit ei, quia praepropera erat. *Non mihi tempus meum advenit*, i. e. desiderabunt bibere et invenient, vinum de-

<sup>1</sup> Io. II, 1-11.

fecisse, et tunc signum fiet miraculosum. [...] Et quum Maria usque ad crucem eum sequuta esset, ex illo die eam Ioanni tradidit dicens: *Mulier! ecce filius tuus*, et iuveni: *Ecce mater tua*, quibus verbis iterum eam prohibuit, ne ipsum proprius accederet, quia dixit: Exinde Ioannes est filius tuus.

Quare Dominus ab initio suorum signorum naturam aquae convertit? Ut demonstraret, divinitatem, quae naturam in hydriis convertebat, etiam naturam in utero virginis mutasse, sicut et in fine suorum signorum sepulchra aperuit, ut demonstraret, mortis avitatem adversus ipsum non praevalere. Utramque grandem commutationem, in nativitate scilicet et in morte sua, obsignavit et confirmavit, quando aqua, quae iuxta suam naturam in vite conversionem subit, in lapideis illis hydriis, natura nihil conferente, convertebatur, quemadmodum caro ipsius mirabiliter in virgine concepta et modo admirabili in virgine sine viro creata est. Ex aqua ergo fecit vinum, ut omnibus persuaderet, quomodo conceptio et nativitas sua facta esset. Sex hydrias vocavit in testimonium unius virginis, quae eum peperit. Hydriae nova ratione, non more suo, conceperunt et pepererunt vinum et amplius non pepererunt. Ita concepit Virgo et peperit Emmanuel et amplius non peperit. Partus hydriarum ex paucis in multa, ex indigentia in abundantiam, ex mera aqua in vinum bonum; ast in Maria conceptus fiebat ex abundantia in paupertatem, ex gloria in ignominiam.

<sup>EC</sup>  
<sub>245</sub> Cap. X. [...] Ecce dedi vobis potestatem calcandi serpentes et scorpiones, quia abstulit errorem, qui regnavit per serpentem, ut regnet veritas eius qui dedit potestatem calcandi serpentes et scorpiones, i. e. reges eorum. Quia percussit ille calcaneum Evaе, calcavit eum pes Mariae. 298

<sup>EC</sup>  
<sub>245</sub> Cap. XX. [...] Maria Dominum vidit in eo, qui in sinu eius recubuit, et Ioannes Dominum vidit in ea quae ex utero eum peperit, ideo huic prae ceteris discipulis eam commendavit. 299

<sup>EC</sup>  
<sub>249</sub> [...] Quia mors per aurem Evaе intraverat, per aurem Mariae vita intravit; et quia homo debita per lignum contraxerat, Christus venit, et per lignum ea solvit. 300

#### EXPLANATIO IN GENESIM

<sup>OS</sup>  
<sub>(1) I, 177</sub> Cap. XXVIII. [...] *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Plenus ager, cui Isaac filium suum similem dicit, Paradisus fuit, idemque benedictae Mariae figura est: Maria nimirum coelestem illam spicam nobis protulit Christum nova se-

<sup>1</sup> Cf. RICCIOTTI, 102 ss.

cundum carnem generatione natum, ex qua panis vitae confectus est nobis. Eadem virgo fuit ager, cui benedixit Dominus, nobisque dedit spicam coelestem pro campo, cui idem Dominus maledixit: terra quippe maledicta Eva fuit, illa mater viventium.

#### IN EXODUM COMMENTARII

**302** Sectio XII, 1. *Mensis*, ait, *hic erit principium mensium anni.* <sup>CSCO  
153-72,  
120</sup> (*Die*) autem decima huius (*mensis*) capiant singuli agnum per domos; et servatus erit ab eis usque ad decimam quartam diem et immolabunt eum ad solis occasum; et aspergant sanguine limina et superlimina domorum in quibus manducent eum.<sup>1</sup>

2. Agnus autem typus est Domini nostri, qui decima die (*mensis*) Nisan (Aprilis), venit in uterum; a die decima enim *mensis septimi* quo nuntium acceperat Zacharias de nativitate Ioannis, et usque ad decimam (diem) *mensis primi*, quo nuntium accepit Maria ab angelo, sex menses sunt; propter quod dixit ei angelus: *Hic mensis sextus est mensium illi quae vocata erat sterilis.*<sup>2</sup>

3. (*Die*) decima igitur, quo inclusus est agnus, conceptus est Dominus noster; et (*die*) decima quarta, quo immolatus est, typus eius crucifixus erat.

#### EXPLANATIO IN LIBRUM IUDICUM

**303** Cap. VI. [...] Gedeonis vellus, quo rorem de coelo accepit, Virginem figuravit, quae Deum Verbum concepit. <sup>OS  
I, 317</sup>

#### IN II LIBRUM REGUM

**304** Cap. II. [...] *Ait ille: afferte mihi lagenulam novam.*<sup>3</sup> Superiori allegoriae haec optime congruunt. Lagenula videlicet nova Mariam Virginem designat, cuius intra intemerata viscera, nova et singulari conceptione formatus est Christus futurus corruptae naturae nostrae condimentum, et communis sterilitatis remedium. <sup>OS  
I, 521</sup>

#### EXPLANATIO IN ESAIAM PROPHETAM

**305** Cap. VII. [...] *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.*<sup>4</sup> Virgo, inquit, concipiet, etsi cum ipsius voca-

<sup>1</sup> Exod. XII, 2, 3, 6.

<sup>2</sup> Lc. I, 36.

<sup>3</sup> II Reg. II, 20.

<sup>4</sup> Isa. VII, 14.

● EC 35, 36, 74, 123, 127, 256, 266.

● Commentarii in Ep. D. Pauli, 133, 140, 161, 250, 260.

● In dispositione locorum secuti sumus *Assemani* ad maiorem commoditatem Lectoris, quamquam non omnes loci sint certi.

bulo, et natura pugnare ista videantur, nempe si sit illa Virgo, quomodo uterum gerat? Si gerat uterum, quomodo virgo sit? Atque adeo quisnam istud affirmanti aurem commodet aut praestet fidem? *Dominus ipse dabit vobis signum.* Atqui cum dederit, tu Rex modum ne quaeras, nil enim Deo difficile: quidquid voluit peractum est.

## EXPLANATIO IN IEREMIAM PROPHETAM

<sup>OS</sup>  
<sup>II,</sup> 145 Cap. XXXIII. [...] *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et commovebuntur simulacra Aegypti a facie eius.*<sup>1</sup> Nubes itaque, quam Dominus condescendit Virginem Mariam Dei Genitricem nobis figuravit. 306

## EXPLANATIO IN DANIELEM PROPHETAM

<sup>OS</sup>  
<sup>II,</sup> 206 Cap. II. [...] Atque proinde *lapis excisus sine manibus,*<sup>2</sup> Dominus est, qui in sua exinanitione *sectus de monte lapillus* dicitur, de stirpe videlicet Abrahami natus. Eademque *montis* figura pariter designabatur sancta Virgo, ex qua *decisus fuit mysticus ille lapis sine manibus*, i. e. sine virili semine. 307

## EXPLANATIO IN MICHAEAM PROPHETAM

<sup>OS</sup>  
<sup>II,</sup> 278 Cap. V. [...] *Et tu Bethlehem minima ut sis in millibus Iuda, ex te exiet Dux, ut sit Princeps super Israel; et egressus eius ab initio a diebus saeculi.*<sup>3</sup> Sermo est de corporali Dei Verbi Nativitate ex Virgine in Bethlehem Ephrata nascituri. Non dicit ex te est, sed ex te exiet, i. e. \* exiet ex te in corpore; nam in quo est ab aeternitate Deus, egressum neutquam a te cepit: in eo autem, in quo ab aeterna substantia ab initio exit, atque in hoc, in quo exit ex te, unus est. *Complebit ea usque ad tempus, in quo parturiens pariet,*<sup>4</sup> i. e. decreta sua Deus ad effectum perducet, interim dum expectatur partus Virginis. 308

## IN SELECTA S. SCRIPTURAE LOCA SERMONES EXEGETICI XI

<sup>OS</sup>  
<sup>II,</sup> 318 In Gen. III, 6. [...] Per Evam nempe decora et amabilis hominis gloria extincta est, quae tamen rursus per Mariam refloruit. 309

<sup>1</sup> Isa. XIX, 1.<sup>2</sup> Dan. II, 34.<sup>3</sup> Mich. V, 2.<sup>4</sup> Mich. V, 3.

● OS I, 163, 177, 178, 188, 213, 282, 352, 357, 435, 493, 561.

[...] Eva gloria, et honore decora noluit serpenti despecto et <sup>321</sup> vili repugnare, quando et eius dicta ambigua erant, et igne probanda, ipsamque videre erat multa luce nitentem, et illum misere abiectum. Mariam ergo miremur, quae magnum Angelum interpellavit, nec expavit, sciscitata est, nec timuit. Eva nec sordidum serpentem pedibus carentem ausa est interrogare, quando puella Gabrieli restitit. Nec tamen interrogavit Maria, quo de Filio Dei vivi disquireret, de homine mortali quaesivit, quod nullum cognosceret. Maria sciscitata est de rebus, quae illi veridico plana fuisse sent. Admisit Eva ab hospite dicta ignoto, quae factu difficillima. Mater imprudens nostrarum miseriarum origo fuit; facta est prudentissima soror felicitatis nostraræ thesaurus. Serpens, in quem inquirere oportuit, examinatus non fuit. Christum credere debemus, et nunc, ut video, excutimus et scrutamur.

[...] Gremio corporis, quod quantum est, in ipso inhabitantem <sup>324</sup> animum non capit, immiscuisti maiestatem tuam. O rem mirandam, tuum de Maria conceptum! Sicut enim per exiguum auris sinum intravit, et infudit se mors, ita in novam Mariae aurem penetravit, fuditque se vita, et quemadmodum lignum mortem intulit, sic aliud signum vitam revexit, ut per alterum mors vinceret, per alterum vita triumpharet.

**310** In Gen. III, 6. Quae duae feminae innocentia et simplicitate floruerunt Maria, et Eva, altera salutis, altera nostraræ mortis origo fuit. Age, rationes utriusque conferamus. Eva ex quo simplicitatem a prudentia discrevit, plane desipuit; Maria sapienter prudentiam credidit esse salem, et condimentum simplicitatis. Enimvero non sapit simplicitas, quam non condit calliditas, nec calliditas spem salutis facit a simplicitate remota. [...] \* Oculum Evae arboris percult species, aurem pepulit veteratoris consilium, ambo haesere infixa animo: absoluto opere incessit dolor et paenitentia. Aure vidit Maria illum absconditum, voce concepit in utero Virtutem ad corpus demissam. Inter haec mors, et diabolus dum anxii se mutuo suspectant, invicem interrogant. Quid istuc, quod pulsat aures carmen? Angelos quippe audiebant hunc de illo hymnum modulantes: Hic est extinxitor mortis, et diaboli triumphator, gaudium Angelorum et hominum spes. Hinc incessit trepidatio et metus, compulitque ad fugam ambos. Diabolus deserta petiit, sub terram subiit mors, incassum tamen, ille nimirum fugientes insecutus suis in latebris oppressit, in solitudinem penetravit, et diabolus in propria eremo debellavit, descenditque in imos terræ sinus, et mortem in suis speleis concidit. Hinc sublatis humanae rei eversoribus, spes infimis revixit, et aucta summis laetitia. Tum

<sup>OS</sup>  
<sup>II,</sup> <sup>327</sup>

\*<sup>328</sup>

vero caelo delapsi vigiles terrigenis laeta omnia nunciarunt, eorumque cumularunt gaudium. Caeterum lumen oculo receptum sua illum praesentia tergit et illustrat, eiusque pulchritudinem ac venustatem proprio fulgore exauget et ornat. Maria oculus fuit, lux habitavit in illa, suoque numine ipsius mentem extersit, purificavit phantasiam, cogitationes mundavit, et defaecavit virginitatem. Rursus si fluvius in quo baptizatus fuit, illum mystice iterum concepit, et mollis aquarum uterus purissime parturiit, sancteque peperit et extulit gloriose, agnoscas in puro fluminis alvo filiam hominis, quae sine viro concepit, et peperit sine semine, atque ex gratia gratiae Dominum educavit. In flumine paruit Sol Oriens, fulgur in sepulcro, in summitate montis resplenduit, et refulsit in utero, cum elevaretur, et ascenderet, sua luce coruscavit. [...] \* Confitemini, fratres, Creatori lucis, et in hoc aspectabili lumine supercoelestium syderum agnoscite imaginem, et laudate Opificem, qui in visibili luce, lueem invisibilem Salvatoris nostri spectabilem nobis fecit. Illumina, quaeso, praeceptis tuis vocem dicentis, et aures audientis: oculorum nempe geminae sunt aures, hisque lucis officium vox praestat. Agenesis cum oculo debeat corpus, suis bene compactum partibus, suorum organorum nitorem, decorum actuum suorum, reliquorum sensuum ornatum, membrorumque venustatem: manifestum est Mariam fuisse eius syderis ianuam, cuius praesentia spes nostra revixit, quando per illam mundum, eiusque habitatores revisit lux, quam expulerat Eva omnium origo malorum. Et si mysterium utriusque nosse cupis, cogita corpus geminis praeditum oculis, quorum alter casu occaecatus lumen amisit; mira nitet alter luce, quam rebus omnibus etiam communicat: mundum iam respicito, duos hic oculos nactus est: Eva fuit oculus sinister plane caecus, dexter ex adverso nitidissimus Maria, ut laevo oculo lux occidit, simul universo orbi incubuit nox.

## SERMONES DE NATIVITATE DOMINI

<sup>OS</sup>  
<sup>II, 396</sup> Sermo I. Gratissimus multoque iucundissimus accidit Regibus, Sacerdotibus, ac Prophetis hodiernus dies; ipsorum siquidem praedictiones re praestitit, idemque confirmavit. Virgo Emmanuel hodie in oppido Bethlehem peperit: natus est igitur, qui Isaiae vaticinium implevit [...]

311

Adam mulieri laborum, et dolorum causa fuit, matri damnum compensavit filia Virgo, quo ipsi peperit Salvatorem; Evam genitricem genuit ingenitus vir, quanto credibilius videatur, filiam Evae citra \* viri operam gravidari potuisse? Terra virgo Adamum

<sup>\*397</sup>

peperit protoplastum, terrae Dominum, Coeli Dominum Adamum  
hodie virgo parit. Virga Aaronis germinavit, refloruitque aridum  
lignum, mysterium declarat hodiernus dies proponens virginis  
uteri partum.

**312** Maria hodierno die fermentum in nobis abscondit de penario <sup>OS</sup>  
<sub>II, 401</sub> Abrahami acceptum.

**313** Sermo III. [...] Sub hyemem, quae pomariis poma diripit, ste-  
rilis vitis divino pubescit foetu, sub frigida tempestate, quae om-  
nium arborum decussit ornatum, germen de Iessaea stirpe se nobis  
erupit: mense decembri, qui semina terrae commissa tegit, de Vir-  
ginis utero spica salutis extitit: vere novo, in quo herbescunt sata  
et fundunt frugem, seritur divinus ille manipulus, terraque com-  
mittitur, quem olim demetet mors, voratumque demittet in infer-  
num, quem tamen ipsa, quam hauriet, vitalis medicina disruptet.  
Vere novo quando in campis agnelli vagantur, uterus Virginis  
ingreditur, qui postea fluvium ingressus, peracto baptismo, pisca-  
tores inde egressos cepit, res quippe omnes in se reciprocatur et  
reducit.

[...] Tempore hyberno, quo terra parere intermittit, Virginitas <sup>410</sup>  
parere didicit. December, qui terrae conceptus cohibet, partum  
Virginis protulit. Agnos novellos pastores vident primi, veri Agni  
ortum pastores primi sibi caelitus nunciatum agnovere. Lupus ille  
senex Agnellum ubera sugentem vidit, et extimuit vel suam dissimilantem  
formam, scilicet postquam lupus ovilla se pelle texit,  
omnium pastor factus est unus de grege agnus, sic ipse disponebat,  
ut a rabido illo hominum helluone agnus mansuetus voraretur, et  
vicissim ipse vorantem sua virtute disrumperet. Sanctus in utero  
corporaliter habitavit, in mente nunc spiritualiter habitat: si Maria,  
quae illum concepit, nuptias aversata est, caveat, quae ab illo in-  
habitatur anima scortationem: Maria illius adventum praesensit,  
et sponsi thalamos dimisit, ecce in castis animabus habitat, si ta-  
men sensere praesentem.

**314** Sermo VI. [...] Rachel sterilitatis impatiens virum incusabat, <sup>OS</sup>  
<sub>II, 420</sub> dicens: Da mihi liberos: felicem Mariam, in cuius sinum, ipsa non  
petente, purissime, descendisti, donum accipienti ultro oblatum.  
Sara, Rebecca, Anna, et Elisabeth lacrymis, votis et precibus pro-  
blem efflagitarunt, et sic tandem aliquando post diuturnum laborem,  
et plurium annorum lactum exorata foecunditate respirarunt: vere  
Beatam Mariam, quae nec proles desiderium sensit, nec pro ea im-  
petranda preces fudit, aut vota nuncupavit, concepit nihilominus,  
integra Virginitate manente, peperitque Dominum, cui serviunt  
omnes de muliere nati, sancti et iusti Sacerdotes, et Reges quot-

<sup>\*421</sup> quot tulere praeteritae aetates, aut futurae ferent. Quae Mariae similis mater usquam extitit, cui clausum utero foetum alloquio cantuque mulcere \* licuit, ne dum summi Filium Opificis, Filium Creatoris, Filium Altissimi appellare Filium suum? Aut quae puerpera natum sic precata est? Ave, spes matris, quia Deus es, ave, Dilecte et Fili, quia homo es, hinc amor, inde timor cum mihi tibi apparere contingit.

<sup>OS II, 422</sup> Sermo VIII. [...] Sic tuo, Domine, ab inferis reditu tuum ab 315 utero exitum persuasisti, ambo clausi, signati ambo, uterus et tumulus, purus in utero, vivus in tumulo, uterum ac tumulum habuisti testes ob appressa sigilla firmissimos. Venter et sepulcrum resurrectionis, et nativitatis tuae miracula proclamarunt, obsignatus venter concepit, sepulcrum sigillo pariter munitum te edidit, venter praeter naturae modum te concepit, et infernus, eadem repugnante, edidit: signatum fuit sepulcrum, cui te custodiendum tradiderunt, integer fuit uterus, qui te concepit, virique nescius: uterus intactus, tumulus signatus, geminae tubae contumacis populi surdas pepulere aures, uterus integer, inviolatum lapidis signum sycophantarum turbam convicerunt, maligne iactantium, conceptum fuisse viri opera, furum opera corporis resurrectionem. Virginitatis, inquam, signacula, et publicae auctoritatis sigillum, eo loci deduxere protervos, ut proprio iudicio coacti, te de Caelo descendisse faterentur.

<sup>OS II, 423</sup> [...] Qui sciret, quoniam tuam, Domine, Genitricem nomine appellare deberet, nemo fuit: Virginem ne diceret, at eius in oculis omnium prostabat natus: nuptam ne affirmaret, at ad eius nuptias neminem pervenisse certum erat. Iam si matrem tuam mente intelligentiaque assequi nemo potest, quis te attingere se posse credat? Mater tua Maria sola est, si solam cogito, alioquin soror, si cum reliquis confundo feminis. Facta tibi mater est, et in communis sanctarum feminarum choro soror quoque et sponsa: video, ut omnibus illam decorasti modis, o matris tuae decus. Sponsa tibi data est, antequam venires, quod secundum naturam transactum est, venisti, teque concepit, et \* hoc supra naturam, sicut et illud, quod te peperit, et Virgo permansit. Omnium nuptarum praerogativas habuit Maria: citra viri operam viscera prole, lacte implevit ubera, te iubente, statim fons lacteus erupit e terra sitiente. Aspectu illo tuo magno recreata mater te gestat, nec tamen ipso gravatur onere, eibum ministrat, esurire volenti, porrigit poculum tibi ipsi ultro cimenti sitim. Si illi amplexari te licuit, tua istud praestitit benignitas, prunam ardensem, ne pectus eius exureret, attemperans. Prodigium est mater tua: suscepit Dominum, servum fecit, suscepit disertum, mutum reddidit, suscepit tonantem, vocem ademit, suscep-

<sup>\*424</sup>

pit provisorem sospitatemque universi, mutavit in agnum, et balantem enixa est; ordinem rerum venter pervertit Matris tuae, qui componis et ordinas universa: hunc ingressus dives, egenus inde exiisti; subiisti excelsus, humilis prodiisti; intrasti luce ipsa clarior, obscurus egressus es sic, ut nulla in habitu dignitas, in forma nulla auctoritas appareret. Impavidus, qui timorem nec capis, ex utero matris hausisti, posse timere: inde esuriem didicisti, qui pastum cunctis viventibus praebes, qui aperis fluenta sitientibus, inde sitire coepisti; ab omnibus rebus nudus atque vacuus indidem extitisti, qui vestis et ornas universa.

**317** Sermo IX. [...] Qui hebraeos maxime suspiciosos et criminales noverat, Deus, feminas miseratus pro earum indemnitate, suas auxit ordinationes: si uxorem, ait, oderit maritus, non ante dimitat, quam scripto libello repudiatam declarat. Quod si violatae fidei suspectam habeat sacris aquis eius pudicitiam exploret. Si quis alias quispiam eidem impegerit falsum crimen, velamen pro multa dabit.<sup>1</sup> Omnem suspiciosis et calumniatoribus ansam praeripuit Maria, quae virginitatis claustra intemerata perpetuo servavit. Quo zelotypiae leges promulgavit Moyses, hoc ipso illorum in hac parte vitium satis ostendit. Iam vero si feminas suas adhuc innuptas atque velamen virginale gestantes, violatae pudicitiae accusare solebant, et hoc praetexto crimine morte multare, nil mirum si matri, prole praesente, similem calumniam intentarint. Aquis exploratoriis et velamine, quibusdam velut rudimentis illos ante exercuit, ut cum advenisset ille, cuius nutu omnes concipiuntur foetus, et venter, in quem ille descendisset, ipsis suspicionem movisset, virginalia claustra, praesente foetu, adhuc intacta, in illorum impudentiam perorarent. Si ergo viro despensam deprehensa virginitatis signacula vitae periculo subtraxerunt, eadem custodita custodi salutem pepererunt. Ergo, quicumque sapis, arma custodi, quae si expugnata fuerint, adversus Dominum retorta dimicant.

**318** Sermo XII. [...] Cum adhuc virgo esset, ignominiosa folia induit Eva mater nostra, quae vero, perseverante etiam virginitate, Mater tua effecta est, gloriosam stolam suscepit, omnium mortalium nuditati indumenta provisuram. Parvum illi corporis pannum commodavit, qui nos omnes vestit et ornat. O beatam illam, cuius cor et mentem obtines! Regis aula facta est, te Regni haerede illam habitante, teque summo Sacerdote ibidem sacra faciente, in Sanctum Sanctorum transiit. Nulla talem rei familiaris aut coniugis solicitat cura, fatigative labor.

<sup>1</sup> Num. V, 14.

SERMONES ADVERSUS SCRUTATORES  
MARGARITA, SEU DE FIDE SERMONES SEPTEM

<sup>OS</sup>  
<sup>III, 152</sup> Sermo II. Cui similem te esse, Margarita, dicam? Hoc precor, **319**  
tuum me ab ore tuo pendentem, doceat silentium; tacendo loquere;  
mutas quicumque voces exceperit, intelliget isthuc, quod praefers,  
mysterium sine voce sonare salutis nostrae Reparatorem. Est mater  
tua sponsa maris innupta, pelagus illam non duxit, ipsa sponte sua  
in eius sinum delapsa est. Virgo te concepit, virgo Mater iudeas  
feminas sugillat gemmata monilia gestantes, nulla praeter te gemma  
suo conceptu refert divinum Verbum, quod caelebs generavit Altissimus. Quas natura fingit gemmas, ad repraesentandum caelestium  
margaritarum nitorem formare videtur. Foetus eximius  
oculis patet, qui hunc concepit uterus adhuc latet; tuus, Margarita,  
conceptus inde valdissime admirandus, quod sine semine et coniugali  
opere perfectus est, origo tua singularis est, nullam habitura  
parem. Dominus dicitur habuisse fratres, qui certe nulos habere  
potuit, quum natura unicus sit. O partum singularem et admirandum  
qui tui similem extra Unigenitum nullum habes!

PARENETICA

<sup>OS</sup>  
<sup>III, 409</sup> Parenesis IV. [...] Esaias divinorum arcanorum verus interpres **320**  
appellavit Christum ortam *de terra sitiente radicem*,<sup>1</sup> utpote sine  
semine de casta Virgine Maria natum.

DE PARADISO EDEN

<sup>OS</sup>  
<sup>III, 572</sup> Sermo IV. [...] Nudus Adamus decorus erat, vestem coniux  
manu sua elaboratam ei adcommodavit, vestem scilicet sordidam,  
et omni sorde culpa peiore foedatam. Lapsum protoplastum vidi  
Paradisus et luxit casum, cui ipse caussam dedisset. Vestem Maria  
aliam latroni quaesivit aptavitque, et addito promisso in spem for-  
tunae melioris erexit. Hunc item Paradisus vidi, et effuso sinu  
complexus est, sedem ab Adami relegatione vacuam ei assignavit.

● OS II, 33, 34, 35, 40, 216, 272, 295, 321, 405, 409, 411, 412, 413, 415,  
416, 418, 419, 421, 425, 428, 429, 433, 478.

<sup>1</sup> Isa. LIII, 2.

## SERMONES DE DIVERSIS

**322** Sermo I. [...] Prima tibi coronides ab ea, in qua editus es urbe decernitur. Duo tibi dat diademata, quae te genuit mater, quaeque te excepit spelunca. Reliquae deinde urbes, quas tenent coronas ad pedes abiiciunt tuos. Quod enim supremae tuae Maiestati deferunt munus, id a te acceperunt; unde nihil sumis, quod non prius impertiveris.

Tua te adoret Genitrix, tuoque capiti diadematis ornamentum superimponat, ceu Salomoni propria quondam imposuit mater; etsi hic ceteroquin ethnicam pravitatem sequutus, suae honorem dignitatis depresserit. At tu davidicam, ex qua profectus es sobolem amplissime decoravisti: tu ipsius thronum magnifice elevasti, familiam longe lateque propagavisti, et eius citharam ubique provexisti.

Eadem tua Parens inclyta in omnium ore diutissime vigeat: qui te gestavit uterus benedictione repleatur. Iosephum nemo digne laudare poterit, quem tu, vere et naturalis aeterni Patris Fili, patrem adoptivum habere non recusasti; tu, pastor amantissime, missus ad quaerendas, quae perierant, oves tamdiu laboravisti, donec inventas ad ovile reduceres.

Quod tantum conceperim filium, sic enim Virginem Mariam secum alloquutam fuisse credibile est, id me piae omnibus, qui salutem adepti sunt, mirifice recreavit: quod ipsum genuerim, me supra omnes sanctitate eminentes viros decoravit. Ingrediar modo in virentia Paradisi pomaria, ibique Deum laudabo, ubi Eva misere concidit. Hoc fortasse non parvi momenti erit, quum in matrem me eleggerit, seque mihi in filium esse dignatus fuerit, quoniam ipsi piae omnibus aliis mulieribus placui. [...]

\* Filius David Ioseph davidicam sibi despensavit filiam, ex qua prolem sine semine habuit, quae Mariae pariter proles fuit, licet ipsa nunquam virum cognoverit; et sic ex utroque tribus ipsorum sobole ditata est augustissima, quae *Filius David* in laudata regum genesi apposite nuncupatur.

Turpe profecto erat, Christum ex viri semine procreari; nec honestum, ut idem ex femina citra coniugium nasceretur. Edidit Maria infantem, qui non sub ipsis, sed sub Iosephi nomine scriptus est, licet ex huius semine non derivatus. Ortus est sine Iosepho Iosephi filius, qui Davidis filius simul et parens exstitit.

Quum de tam sublimi mysterio sermonem Moyses institueret, sponsam \* Virginem uxoris vocabulo appellavit; sponsum vero, qui ab ipsa religiose abstinuit, coniugem dixit, ne videlicet quis Davidecum genus extinctum suspicaretur; sine viro enim qui fieri po-

OS  
III. 600

\*601

\*602

tuisset, ut Christus filius Davidis haberetur? Quare conveniens fuit, ut virginis sponsus coniugis personam gereret. Ipse pariter Dominus ex progenie David se ortum fassus est, dum eiusdem filius vocari non repugnavit.

Iamvero si Christus, viri a sua stirpe longe dissiti, filius nominatur, eo quia in ipso sibi Deus complacuerit, quis veram Iesu Christi secundum carnem nativitatem in controversiam adducere audeat, dum Christus ex filia David conceptus, et in gremio filii David enutritus, in Civitate David adoratus fuit?

Haec omnia dum tacitus contemplor, improviso quodam studio rapior sciendi quidnam egerit, aut in quo occupata Virgo fuerit, quum Dei nuncius Gabriel ipsam adiit. Eam quidem orantem invenisse verisimillimum est, quemadmodum et Danielem identidem orantem reperit. Orationem fausta solent nuncia subsequi, quibuscum coniunctissima familiaritas cognatioque intercedit, qua sese mutuo recreant et inflammant. [...]

Fausta quaeque in oratione, veluti tutissimo in portu conquescunt, quum sit eorum omnium basis et fundamentum. Quare angelica annuntiatio in Mariae oratione gaudiorum omnium caussam deprehendit. Hinc Gabriel, ea salvere iussa, inquit: *Ne timeas.* Anmadvertendum vero est, Archangelum sub venerandi senis forma missum esse, ne tam casta, tamque verecunda puella iuvenili turbaretur aspectu, nec timore ullo corriperetur.

Ad binos optimos senes, et ad Virginem delegatus legitur Gabriel, quorum ingenia erant arcte inter se connexa, et in voluntate prope simillima; Virgo nempe, sterilis Zacharias, et fidelis Daniel. Hic postremus nasciturum brevi Dominum prophetica prius mente concepit; alter vocem clamantis in deserto edidit, Maria denique Dei Altissimi Verbum ad lucem produxit.

<sup>OS</sup>  
<sup>III. 604</sup> Sermo III. Quicumque, fratres carissimi, miram illam, ac prorsus inauditam rationem, qua Unigenitus Dei Filius nostrae reconciliationis mysterium peracturus, novem integris mensibus virginea in alvo delituit; quaque fragilis nostrae mortalitatis natura ad immensam Divinitatis gloriam gestandam fuerit roborata humanae imbecillitatis viribus perscrutandam sumat, cogetur profecto tanti facinoris excellentia perterritus obmutescere.

323

<sup>\*605</sup> Divinorum propterea arcanorum missa vestigatione, dum pauca de sanctissimae \* Dei Genitricis laudibus dicere aggredior, primo in limine maxima ipsius verecundia occurrit, quam Deus olim Moysi in Monte Horeb sub rubi imagine praemonstravit.<sup>1</sup> Nullum ista

<sup>1</sup> Exod. III, 2.

detrimentum passa est, sive quum Verbum in illius uterum descendit, sive quum expleto novem mensium cursu ad lucem prodidit.

In hac Christi Domini nativitate duplex prodigium admirari subit; Christus ex virginis visceribus nullo hominis commercio labefactatis egreditur; Christi praecursor Ioannes praeter communem naturae ordinem nascitur. Virgo Deum parit; sterilis Virginem. Mariae uterus divina praesentia sanctificatur; exultat Ioannes de Christi praesentia,<sup>1</sup> qua adhuc in utero clausus fruitur. [...]

**324** At vero operae pretium me heic facturum existimo, si huiusce <sup>OS</sup><sub>III, 606</sub> praeclari operis seriem paulo altius repetam, ne quid gloriae Mariae Virginis debitae silentio praetermisisse arguar. Illuxerat iam laetissimus ille universo orbi dies ad humani generis reparationem praefinitus, quum extemplo Dei nuncius Gabriel ad Virginem delegatur; ad quam ingressus, ipsi Dei verbis prius consalutatae legationis negotium declarat. Rei novitate perculta Virgo primo perturbatur; deinde, timore posito, ab Angelo quaerit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*<sup>2</sup> Cui Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*<sup>3</sup> Quibus illa cognitis, ne diutius divinae voluntati obsisteret, subdidit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.*<sup>4</sup>

Ex quo itaque Maria Virgo supremis Dei decretis obtemperavit, Verbum statim in ipsius uterum descendit, quin virginis pudor frangeretur, aut minimus corpori dolor accederet. Quapropter speciosus in splendore suo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, exinanivit semetipsum, ut quod Adam per inobedientiam destruxerat, ipse per humilitatem resarciret.

Sileat quicumque audit Dominicae Nativitatis sacramentum, et angelicam legationem devota fide veneretur, non curiose vestiget; neque enim divinae \* omnipotentiae difficile fuit Reparationis opus <sup>\*607</sup> pro nobis susceptum ex nobis inchoare.

Maria ergo hodie Caelum pro nobis facta est divinitatem portans, quam Christus absque eo, quod a paterna gloria recederet, intra angustos uteri limites conclusit, ut homines ad altiorem dignitatem extolleret. Hanc solam ex universo virginum coetu elegit, ut nostrae esset salutis instrumentum.

<sup>1</sup> Le. I, 41.

<sup>2</sup> Le. I, 34.

<sup>3</sup> Le. I, 35.

<sup>4</sup> Le. I, 38.

<sup>OS</sup>  
<sup>III, 607</sup> In ipsa terminum habuere Iustorum ac Prophetarum omnium vaticinationes. Ex ipsa splendentissimum illud Sydus prodiit, quo duce populus, qui ambulabat in tenebris, vidi lucem magnam. 325

Diversis Maria nominibus potest aptissime nuncupari. Ipsa namque templum est Filii Dei, qui ex eadem alio plane modo egressus est, ac fuerat ingressus; quum enim ingressus esset in uterum sine corpore, corpore indutus erupit.

Ipsa est mysticum illud Caelum novum,<sup>1</sup> in quo Rex Regum tanquam in sua sede inhabitavit, ex quo in terram delapsus est, terrenam quandam speciem et similitudinem praeseferens.

Ipsa est vitis fructificans suavitatem odoris,<sup>2</sup> cuius fructus quoniam ab arboris natura admodum discrepabat, necesse fuit, ut suam ab arbore similitudinem mutuaret.

Ipsa fons est de domo Domini egrediens,<sup>3</sup> ex quo sitientibus fluxerunt aquae vivae, quas si quis primis dumtaxat labiis gustaverit, non sitiet in aeternum.

Errat autem, dilectissimi, quisquis hodiernam reparationis diem cum altera creationis comparari posse arbitratur. Initio namque terra condita est; hodie renovata; initio ob Adami crimen maledicta est in opere suo,<sup>4</sup> hodie vero pax illi et securitas restituta. Initio protoparentum delicto in omnes homines mors pertransiit; hodie vero per Mariam translati sumus de morte ad vitam. Initio serpens Evae auribus occupatis, inde virus in totum corpus dilatavit; hodie Maria ex auribus perpetuae felicitatis assertorem excepit. Quod ergo mortis fuit, simul et vitae exstitit instrumentum.

Qui sedet super Cherubim, en modo muliebribus brachiis sustentatur; quem totus non capit orbis, Maria sola complectitur; quem Throni, Dominationesque metuunt, puella fovet; cuius sedes in saeculum saeculi, en virgineis genibus insidet; cuius pedum scabellum terra est,<sup>5</sup> eandem puerilibus premit vestigiis.

<sup>1</sup> Apoc. XXI, 1.

<sup>2</sup> Eccli. XXIV, 23.

<sup>3</sup> Ioel III, 18.

<sup>4</sup> Gen. III, 17.

<sup>5</sup> Ps. XLIV, 7; CIX, 1.

● OS III, 5, 6, 23, 35, 42, 80, 93, 137, 150, 352, 479, 481, 507, 519, 532, 599.

## SERMO IN TRANFIGURATIONEM DOMINI

**326** [...] Clamavit vero Pater: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.*<sup>1</sup> Non separatus a gloria Divinitatis Filius. Nam una natura est Pater, et Filius, cum sancto Spiritu, una potentia, una essentia, unum regnum: et in unum clamavit voce in nomine simplici, et in gloria formidabili. Et Maria ipsum appellabat filium, non separatum corpore humano a divinitatis eius gloria. Unus quippe est Deus, qui in corpore visus est in mundo. Gloria eius, divinam significavit naturam, quae est ex Patre: et corpus eius, humanam indicavit naturam, quae est ex Maria: ambas naturas, quae convenerunt atque unitae sunt in una hypostasi. Unigenitus ex Patre, et unigenitus ex Maria. Et qui dividit, dividetur a regno ipsius: et qui confundit eius naturas, peribit a vita eius. Qui negat Mariam genuisse Deum, non adspicit gloriam divinitatis ipsius: et qui negat eum carnem gestasse a peccato alienam, eiicietur a salute, et a vita, quae per eius corpus data est. Ipsae testantur res, et divinae ipsius virtutes docent illos qui valent discernere, ipsum esse Deum verum: passionesque eius aperte demonstrant, ipsum esse verum hominem. Et si id sibi persuasum non habent qui mente infirmi sunt atque imbecilles, poenas luent in die eius formidabili. Si enim non erat caro, \*quorsum Maria in medium producta est? Et si non erat Deus, quemnam Gabriel Dominum vocabat? Si non erat caro, quisnam in praesepio recumbebat? Si non erat Deus, quemnam descendentes glorificabant Angeli? Si non erat caro, quisnam involvebatur fasciis? Si non erat Deus, pastores quemnam adorabant? Si non erat caro, Ioseph quem circumcidit? Si non erat Deus, stella in coelo in cuius honorem accurrebat? Si non erat caro, Maria quemnam lactavit?

OG<sup>(1)</sup>  
II, 46

\*47

## IN SECUNDUM ADVENTUM DOMINI

**327** [...] Salve, Domina Deipara: tu multum quidem laborasti pro nobis deprecans, ut salvi essemus: verum nos poenitentiam agere et salvari noluimus.

OG  
II, 220

<sup>1</sup> Cf. RICCIOTTI, 102 ss. De paternitate OG dubitant viri docti. Exclusimus exemplum graecum brevitatis causa.

<sup>2</sup> Matth. XVII, 5.

## SERMO ADVERSUS HAERETICOS

<sup>OG</sup>  
II, 263 [...] Refero exemplum, cuius naturam revelare possum: modum-

328

que per quandam similitudinem intelligo, non tamen vim actionis revelo. Margarita, lapis est ex carnibus genitus, quoniam ex conchyliis prodit. Quis ergo non credat, Deum ex corpore hominem esse generatum? Illam non concharum coniunctio format, sed fulgoris et aquae commistio. Sic et Christus in Virgine conceptus est, citra aliquam voluptatem; dum Spiritus Sanctus ex eius massa assumptionem Deo constituit formavitque. Margarita neque murex dignitur, neque ut spiritus in figura procedit: sic et Christus non permixtus cum Divinitate, neque purus est homo, neque cum immiscibili divinitate commissus, tamquam in figura spirituali est genitus. Margarita in hypostasi generatur, et alium secundum se lapidem non generat. Christus quoque non est alius, nisi qui a Patre genitus est, et ex Maria natus. Non figuram dumtaxat dictus lapis habet, sed etiam substantiam: ita quoque filius Dei in hypostasi est natus, et non in figura. Duarum naturarum est particeps hic lapis pretiosus: ut ostendat Christum; quoniam quum Verbum Dei sit, ex Maria homo natus est: non partiale habuit naturam; quoniam neque aliud animal erat: sed perfectam habet duplē naturam, ne duas perdat: neque enim una sola natura Deus super terram visus est: neque altera sola homo in coelos ascendit: verum perfectus ex perfecto, homo ex homine, Deus ex Deo, ex Virgine Christus. Non divisa est caro a divinitate, neque Divinam naturam humana natura oneravit. [...]

\*<sup>264</sup> Natus est etiam Filius non seminatus ex carne: et filium fructificavit natura, sine viro ad generationem concurrente. O magna mysteria: o coelestia dogmata: quia peperit natura non proprium: et filius natus est, non ex viro procreatus. Virgo facta est mater, et natura fons; alvus nutrix, et puella diutrix et cooperatrix. Assumptio ex ubertate naturae, et generatio ex plenitudine determinata ipsi naturae. Sola mulier absque viro genuit: nam corruptionis expers erat, qui generabatur. Virgo peperit, propter eum, qui puritatis ac castitatis fons erat: voluptatis expers, procreationi filii servivit: nam vitiorum superatorem produxit.

\*<sup>265</sup> Quomodo igitur figuram tantummodo suscepit, qui et naturam, et essentiam, et tempus generationis participavit? Quo pacto igitur homo prodiit, qui omnem creaturae praebet experientiam, absque corruptione ac partus dolore? Neque enim passa est Maria, ut mulier; neque partus dolorem sensit, ut Virgo: neque aliena a genito erat: nam propter naturam, quae nutrit, communicationem socie-

tatemque habebat: et mater filii alienae naturae erat, propter assumptionis subminstrationem. Crevit in utero Christus, quum, ut Deus, nullius indigens esset: et filius ex muliere natus, quum filius esset Dei. Agnovit Mariam matrem: humanitatem enim per eam complexa est Divinitas. Filius erat eius, quae subministraverat: quia non solum fide voluntatem atque electionem praebuit, verum etiam natura assumptionem participavit.

Si figuram Verbum assumpsisset; quid natura fuisset opus? Si tamquam in specie processit; quae mulieris necessitas? Si velut per canalem ac fistulam descendit, cur conceptionis tempore indiguit? Cur in Virgine tanquam in loco diversatus est, qui esset extra naturam proditurus? Qui sic natus est, ut qui de coelo delapsus in Virgine habitasset; cur non illico terrae coelitus apparuit? Qui naturam humanam non assumpserat; cur subito inter homines ex aëre se notum non praebebat? Si perfectam oeconomiam habebat; quid ex virginali natura assumebat? Neque supervacaneus est Deus, neque illusor. At supervacanea Maria, si Christus in figura venit. Illuderet etiam Deus, generationem hominibus in praesepi ostendens. Sit ista verborum necessitas, rationum accusatrix. Nam Christum veritatem esse novi, et in Margarita eum suspicio, utpote Deum, qui ex Virgine hominem assumpsit.

**329** Virgo naturae Divinitatis ministravit: ac propterea naturam ei <sup>OG</sup> <sub>II, 266</sub> incorruptibilem praebuit. Si actio quaecumque fuisset illud munus, etiam homo hanc efficere potuisset. Et, si figura fuit illud ministerium, ars igitur hominum Divinitatem iuvisset. Uterus Divinitati servivit: et ob promptam obedientiam, mercedem accepit, ut sine dolore esset. Produxit naturam labori atque dolori obnoxiam: et ipsa doloris laborisque eam expertem recepit. Donum infirmum produxit, validumque illud recepit. Dedit uterum labori atque dolori subiectum: et eundem integrum illaesumque ipsa recepit. Medicus erat, qui natura eius utebatur: ac propterea sanam illam restituit. Non erat homo, qui Virginem pro filii generatione adhibere volebat, sed Deus: atque ideo naturae, quod non habebat, praestitit: ut ostenderet, se non venisse ad dirumpendam naturam, sed ut integrum atque incorruptam eam conservaret. Margarita erat qui generabatur: ideoque elapsus est, et absque labore atque dolore natus. Neque asper erat, ut terreus; neque fluxus et effusus, ut humidus; neque in multas partes divisus, velut materialis; sed infans Deum perfectum continebat sub natura simplici tectum: ac propterea vi illius qui in ipsa erat, Virgo instar cochleae naturaliter peperit, et ut mulier nequaquam passa est; rursus natura, sicut conchyliorum plicis ac sinibus usu venit, ad virginalem statum re-

currente. Non perdidit sigillum natura Virginis, Christo concepto: et ob id, neque eo genito, reserata est, ut partum in lucem ederet. Neque vero rupta est, dum gigneret.

Cogor inhaerere sermoni, ut omnia commemorans, haereticis ostendam, Christum natum esse hominem, et non qui videretur produisse. Nos, quemadmodum concipimur, sic etiam generamur. Corrumpitur mater, dum concepit: laborat ac dolet, dum parit: perdit naturae sigillum, ut concipiatur, propterea quoque, dum parit, non modo diducitur, verum etiam ob naturae imminutionem, flaccescit atque languescit, doloreque torquetur, ut corruptionis, quae initio accidit, admoneatur. Quoniam, ubi semen processit, et ad maturitatem proseminaliae carnis pervenit, dolores partus comparat. At non sic Christus: sed sine dolore genitus est, quoniam et sine corruptione fuerat conceptus, in Virgine carnem accipiens, non a carne, sed a Spiritu Sancto. Propterea et ex Virgine prodiit, Spiritu Sancto uterum aperiente, ut egredieretur homo qui naturae opifex erat; et Virgini virtutem \* in suum augmentum praebebat. Spiritus erat, qui pueroram, thori maritalis nesciam, in partu adiuvabat. Quapropter neque quod natum est, sigillum virginitatis commovit; neque Virgo laborem ac dolorem in partu sensit [...]

\*267

OG  
II, 267

Nonne igitur Deus hominibus artificio praestet, in dilatanda et coaretanda natura, ita ut nulla ex parte labefactetur eorum corporum mole, quae per medium prodeant? Reges, in quibus exaltantur, aut geniti sunt, civitatibus privilegia donant. Filius igitur Dei, nonne Virginis matri sua, quum possit, virginitatem concessit? Alii locorum possessores ac domini, loca et fontes excogitant, et naturas aquarum emendant, et coeli temperiem meliorem solertia ac sedulitate reddunt. Et Christus nonne multo magis etiam ea quae videbantur naturam perturbare posse, correxit ac reparavit? Aut quasi unus ex hominibus, matrem quae ipsum genuit, tamquam unam ex multis esse permisit? Quemadmodum igitur solus ex Virgine natus est Christus; ita etiam Mariam in partu virginem permanere decebat, matremque absque dolore fieri. [...]

Sic dicit et evangelium: Spiritus Domini superveniet in Virginem. Cur ita? Ut scilicet virtutem acciperet, suscipiendo Divinitatem. *Et virtus, inquit, Altissimi obumbrabit tibi.* Fulgor tuae insidet naturae: *quia quod ex te nasceretur Sanctum, vocabitur filius Dei.*<sup>1</sup> Non dixit, quod genitum est, iterum gignetur: neque dixit: quod nasceretur ex virtute, vel ex Spiritu Sancto: sed, *ex te:* ut Virginis naturam ostenderet Deitati ministrantem, assumptionemque in ipsa,

330

<sup>1</sup> Le. I, 30-35.

et ex ipsa, Verbo Deo coniunctam. Nisi enim dixisset, *quod nasceretur ex te*, fortasse figuram existimatum fuisset Verbum assumpsisse. Quaedam tamen exemplaria non habent illud, *ex te*, ut \*haeresibus <sup>\*269</sup> gratificantur. Tametsi autem non habent illud, *ex te*, o haeretice: additio tamen quae sequitur, adhuc sententiam conservat: ait enim, *ideoque et quod nascetur*, assumptionis nexum significans. Caeterum concepcionis naturam arguit, et figuram reiicit: et Archangeli loquutio testificatur, ob nihil aliud Deitatem Virgini obumbrasse, quam ut nascetur homo. Potuisset quippe citius universae apparuisse terrae, nisi per veram hominis assumptionem cum hominibus conversari voluisset.

**331** Quemadmodum autem fulgor universa explorat, sic etiam Deus: <sup>OG II, 270</sup> et sicut illud occulta illuminat, ita quoque Christus recondita naturae purgat. Ideo Virginem purificavit, et sic natus est: ut ostenderet, ubi Christus est, ibi omnem puritatem operari. Mundavit eam in sancto praeparans Spiritu, et sic ipsum purificatus concepit ute-  
rus. Mundavit eam in castitate ac puritate: ideoque natus, Virginem ipsam reliquit. [...]

Virgo, Dei Verbum toto suscepit corpore, simplicitateque naturae, et non curioso ac redundante motu, Deitate impleta est: intellexitque, ex conditione humana se assumptionem suscepisse. Cognoscet conceptionem: at viri congressum et consuetudinem ignorabat: intelligebat quidem absconditum in se pondus: sed appetitum superfluae corruptelae experta non erat: omniaque ad pudicitiam concurrebant membra, proprii impetus et appetitus oblita. Etenim ad ortum solis, cuncta redduntur splendida, apparensque foris Sol, illuminat universa: quid agat in cubiculo totus ad unum admotus? Si Paulum Christus de coelo illuminans, ad pietatem transtulit, fecitque ex lupo ovem, ex persecutore Apostolum, misericordem ei crudeli, et ex inobediente atque intractabili obedientem et tractabilem: quanto magis intus in Maria quum esset Divinum Verbum, ipsam ab omni corruptione atque mutatione alienam fecit. Pro arrabone fidem accepit puellae, et non amplius propendens erat gratia: sed dum iure optimo incorruptionis vim illi praebet, fides naturam adduxit, et hanc excipiens gratia, non amplius esse corruptibilem passa est: verum sibi ipsam adiunxit, sicut Rex vas privati alicuius hominis, proprium sibi faciens. Atque ita facta est Maria, non iam mulier, sed Virgo per gratiam: sicut cibus iumentorum regius efficeretur, si Rex eius particeps fieret atque eo vesce-  
retur. Non dieo immortalem illam fuisse; sed quod ab appetitu seducta eversaque non fuerit, gratiae vi illustrata. Rubiginem, quam natura habebat ferro adhaerentem, gratia mundavit: \*voluptate <sup>\*271</sup> affecit, ideoque conservavit.

<sup>OG</sup>  
<sup>II, 276</sup> [...] Verumtamen non ex superinducto semine Virgo peperit: **332**  
absit; sed suam ipsius substantiam sine motu carnali commodavit,  
et non lapidibus ascia vel securi dolatis Sapientia sibi domum aedi-  
ficavit. Non est auditus ferri sonus in aedificio: neque enim vir in  
Maria ministravit, sed sola Virgo. Politi per se ac iam dolati lapides  
erant, non ab hominibus praeparati: ita etiam in Maria assumptio  
non virili opera facta est, sed ex natura nostra delecta per castis-  
simam Virginem. Sicut e terra sumpti sunt lapides; ita et assumptio  
aucta est per naturam, et divinitas mansit immaculata propter in-  
contaminatam naturam. Absque ferro aedificatum est Templum:  
et sine corruptione atque dolore natus est Christus. Sola terra mi-  
nistravit, sicut et sola Virgo concepit. Non est scissa petra neque  
sensit lapidum abscissionem terra: et Virgo neque mota est, neque  
ex voluptate concepit. Non aliunde terra lapides acceptos praebuit:  
verum ipsa eos sine labore atque experientia ex seipsa suppeditavit.  
Similiter quoque in Virgine non superinductus quispiam assumptioni  
fuit, sed ab ipsa assumptus est. Nam alioquin nutrix fuisse, et non  
mater; custos depositi, et non fons praestantissimae filii procrea-  
tionis. Evangelium illam matrem appellat, et non nutricem. Sed et  
Iosephum quoque patrem vocat, quum nullam in ea generatione  
partem haberet: non enim propter Christum dicitur pater, sed pro-  
pter Virginem, ut non ex \* fornicatione putaretur peperisse, sicut iu-  
daeui ausi sunt dicere. Non appellatio naturam tribuit; nam et nos  
crebro patres nuncupamus, non quidem genitores, verum senio con-  
spicuos. Porro ipsi Ioseph natura appellationem indidit, honorem  
que tempus praebuit: quoniam Virginis et Ioseph sponsorum arrha-  
bones, ut hoc nomine vocaretur, effecerunt; patrem autem, qui non  
genuerit.

## AD IOANNEM MONACHUM

<sup>OG</sup>  
<sup>III, 408</sup> Necesse est ergo nos confiteri sanctam, semperque Virginem Ma-  
riam Dei genitricem esse secundum veritatem, ne in illorum blasphemiam  
incidamus. Qui enim sanctam Virginem vere esse Dei Matrem  
infiantur, nondum fideles sunt, sed discipuli sunt pharisaeorum, ac  
sadduceorum; eorum fermento enutriti, oculos mentis suaee  
caecarunt contra ipsum blasphemantes, ac dicentes: *De bono opere*  
<sup>\*409</sup> *non \* lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu homo quem sis, facis*

● OG II, 42, 43, 201, 226, 264, 266, 267, 274, 275, 277, 278, 303, 313,  
313, 318.

*te ipsum Deum.*<sup>1</sup> Qui vero fatentur Sanctam Virginem esse Dei matrem, ne denegent illum qui pro nobis cruci affixus est, esse Deum: quem enim Sancta Virgo peperit, illum iudei cruci affixerunt. Si vero hominem confiteris illum, qui pro nobis crucem subiit, non Deum secundum veritatem; non item secundum te Dei Mater, Mater Dei est, sed hominis genitrix. Minime igitur Dei gratiam respuas: quem enim peperit Sancta Dei genitrix, eum iudei crucifixerunt; nos vero confitemur, ante saecula genitum ineffabiliter ex Patre, Deum de Deo in fine temporum per summam bonitatem voluisse carnem sumere de Spiritu Sancto, atque ex Sancta Virgine carnem assumpsisse, ex eadem animam nobis consubstantialem, atque iisdem perpessionibus subditam, vivificam, rationalem, atque intelligentem.

## PRECATIO

- 334** [...] Suscipe \* me secundum magnam misericordiam tuam, et salvum me fac, meritis, precibus, intercessionibus immaculatae Dominae nostrae Dei Genitricis, et omnium Sanctorum tuorum. OG  
III, 488  
\*489

## PRECATIO SECUNDA

- 335** [...] Magnae sunt tuae super nos miserations, Domine: ne me reliicias cum iis qui dicunt tibi, Domine, Domine; nec tuam voluntatem faciunt; precibus immaculatae Dominae nostrae Deiparae, et precibus omnium eorum, qui tibi placuerunt. OG  
III, 498
- 336** [...] Salvam fac animam tribulatam de ore leonis, et libera eam per gratiam et misericordiam tuam, precibus immaculatae Dominae nostrae Deiparae, et omnium Sanctorum: quoniam benedictus es in saecula saeculorum. Amen. OG  
III, 502

## PRECATIO NONA

- 337** [...] Dei Genitrix Virgo Mater Dei, porta coeli, et arca, habeo \* te salutem securam: gratis, Domina, salva me. OG  
III, 522  
\*523

<sup>1</sup> Io. X, 33.

## PRECATIONES AD DEIPARAM

## PRECATIO PRIMA

<sup>OG</sup>  
<sup>III, 524</sup> Sanctissima Domina Dei Genitrix sola purissima anima, et corpore, sola supergressa integritatem omnem, et pudicitiam, et virginitatem: sola tota facta domicilium universarum gratiarum sanctissimi Spiritus, atque inde etiam ipsas incorporeas virtutes sine ulla comparatione antecellens puritate, ac sanctitate animae, et corporis; respice in me execrandum, atque impurum, foedatumque in anima, et corpore meae vitae mollis, et voluptuosae inquinantis. Expurga meam mentem pravis affectionibus deditam. Purifica me, et corrige meas aberrantes, caecutientesque cogitationes: compone, atque erudi sensus meos. Eripe me a servitute tyrannicae, pessimae, ac turpissimae consuetudinis impurorum praecoccupacionum, atque affectionum. Refraena omnem in me iniquitatem dominantem, et concede sobrietatem, ac discretionem obtenebratae, et miserrimae menti meae, ut corrigat proprios errores, et lapsus: ut a peccati tenebris liberatus, dignus fiam, ut laudem, atque hymnis celebrem secure Te solam veram Matrem veri luminis Christi Dei nostri, quia sola cum ipso, et per ipsum benedicta, et glorificata permanes ex universa visibili, atque invisibili creatura, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

## PRECATIO SECUNDA

<sup>OG</sup>  
<sup>III, 524</sup> Virgo Domina Deipara, benedicta Dei Genitrix, benedictissima Mater Dei, Deo gratissima, supra omnes benedicta, vas divinitatis Unigeniti filii immortalis, et invisibilis Patris, inclina aurem tuam, atque exaudi verba emissa a labiis meis sordidis, et impuris. Ecce enim corde contrito, atque humili mente ad tuam misericordiam confugi. Noli igitur me infelicem despicere, neque sinas, ut ipse indignus famulus tuus peream in \* finem, sed maternis tuis orationibus usa sana animam meam miseram, quae pravis meis affectibus attrita est, quam malus inimicus voluptuosis criminibus atterens in terram pessum dedit. Ideo omni confusione plenus sum, ac minime audeo, neque fidenti vultu plurimorum criminum remissionem, atque immedicabilium vulnerum meorum medelam ab humanissimo Deo meo possum exposcere. Pollui enim templum corporis, ac faedis cupiditatibus illud miserum in modum inquinavi, omnesque sensus illieitis actionibus depravavi. Unde extollere manus ad coelum mi-

<sup>\*525</sup>

nime audeo, quas contaminavi pravis operibus, neque ad preces labia aperire, quae conviciis in proximum, ac calumniis foedavi. Idecirco Domina purissima ante tuas misericordias inexplicabiles me ipsum proiicio ipse miser, et decoctor. Non est enim mihi alia spes, aut perfugium, nisi tu, et sola mea consolatio, ac cita defensio, animae meae exsultatio, moeroris solutio, captivitatis liberatio, mortaliuum cum Deo coniunctio, nostrum propitiatorium et subsidium, lapsorum resurrectio, meae animae revocatio, corporisque, meorum peccatorum redemptio, arescentis cordis mei divina aspersio, tenebriscosae meae animae lampas lucidissima, nuditatis meae vestis, meorum gemituum solamen, mearum calamitatum commutatio. In te etenim spero, in te glorior: ne longe arceas a nobis tuum patrocinium, sed auxiliare, et protege, et adesto porro in perpetuum. Delectatur tuis precibus Unigenitus tuus filius, et quanto magis ipse, qui inter servos adnumerari voluit, servabit gratiam, ac proprium decretum tibi, qui sibi ministra fuisti inexplicabilis generationis. Quare etiam gaudet tuis intercessionibus, propriam existimans gloriam, et tuas veluti debitas petitiones adimplet. Solum me infelicissimum ne despicias, atque actionum mearum foeditates immensa tuae misericordiae obicem ne ponant: Dei Genitrix, meum decus desiderabilissimum: nihil enim est tuo auxilio firmius tropaeum. Tibi igitur omnino immaculata, et mediatrix mundi, poenitenti corde supplico; tuum promptum in necessitatibus praesidium, post Deum salutare, et securum, et fortissimum \* patrocinium invoco \*526 ego delictorum complurium reus ex profundo cordis mei. Bonitatis, et misericordiae amatrix miserere mei pleni foeditatis, et pigritiae, ac miseram hanc, vilemque precationem suscipe; et si pigre, negligenterque obtuli tibi, nihilominus acceptum me maternis tuis precibus fac filio tuo reddendo dignum me Regno Coelorum laudantem, ac benedicentem Patri, et Filio, et Spiritui Saneto, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

## PRECATIO TERTIA

- 340** Virgo Domina Dei Genitrix, quae Salvatorem Christum, et Dominum nostrum in utero portasti, in te spem meam omnem repono, et in te confido, quae sublimior es omnibus coelestibus potestatibus. Tu me purissima divina tua gratia tuere, meam vitam gubernare, atque ad sanctam voluntatem filii tui, et Domini nostri iter ostende. Tu mihi largire remissionem culparum: sis mihi perfugium, protectio, atque defensio, et manu ductrix transferens ad vitam aeternam. In terribili vero meae mortis hora, Domina, ne derelinquas
- OG III, 526

me, sed ad adiuvandum me festina, et eripe a daemonum crudeli tyrannide: etenim penes te posse est, utpote quae es vere Mater Dei, et omnia potens. Suscipe omnium mitissima, sanctissima Domina Dei Mater dona pretiosa, et tibi soli convenientia a nobis indignis famulis tuis, quae electa es ex omnibus generationibus, et terrenis rebus sublimior visa es. Quoniam per te Filium Dei cognovimus, per te fuit Dominus virtutum nobiscum, dignique facti sumus sancto illius corpore, et sanguine. Beata tu es in generationibus generationum, Deo gratissima, Cherubim splendidior et Seraphim gloriosior. Et nunc omnibus laudibus celebrata sanctissima Dei Genitrix ne cesses intercedere pro nobis famulis tuis indignis, ut ab omnibus daemonis insidiis, atque ab omnibus \* damnis nos eripiamur, et procul a vulneribus conservemur cuiuscumque aggressionis venenatas sagittas eiacylantibus: quin etiam usque in finem tuis precibus custodi nos a damnatione securos, ut tuo patrocinio atque auxilio salvati, gloriam, et laudem, et gratiarum actionem, adorationemque semper demus soli Deo in Trinitate, et omnium rerum Conditori. Domina benigna et nobilissima, Mater Dei boni, optimi, omnemque bonitatem excedentis, respice ad preces indigni, atque inutilis servi tui, ac tuo misericordi oculo, et secundum magnam misericordiam inexplicabilium viscerum tuorum fac mecum, et noli respicere mea delicta seu in verbo, seu in opere, seu secundum quemlibet sensum, voluntaria, atque involuntaria, scienter, et ignoranter: totumque me renova efficiendo templum sancti, vivificantis, et principalis Spiritus, qui inhabitavit, obumbravitque in tuo utero immaculato, Altissimi Virtus. Tu enim es afflictorum auxiliatrix, patrona periclitantium, salus fluctuantium, in procella portus, adiutrix, ac susceptrix versantium in necessitatibus. Concede servo tuo compunctionem, cogitationum tranquillitatem, serenitatem mentis, animum temperatum, sobrietatem intelligentiae, spiritum humilem, convenientem sanctitati, ac sobrium constitutione, morem circumspicuum, atque compositum, iudicium praeseferens interioris animae simul et modestiam, pacemque, quam Dominus noster propriis discipulis largitus fuit. Perveniat oratio mea ad templum sanctum tuum, et ad habitaculum gloriae tuae. Destillent oculi mei fontes lacrymarum, ut abluas me propriis lacrymis, abstergasque fletuum meorum imbris expurgando me ab affectionum sordibus. Meorum delictorum chirographum dele, dissipa nubes tristitiae meae, cogitationum nebulam, et perturbationem, affectum procellam, et turbinem procul remove a me, et me custodi imperturbatum, et hilarem: dilata cor meum spiritali latitudine, exhilara, et concede mihi laetitiam inexplicabilem, gaudiumque continuum, ut, vias rectas

mandatorum Filii tui recto cursu conficiam, et irreprehensibili conscientia, atque inoffensa conversatione procedam. Concede vero etiam \* puram orationem mihi precanti ante te, ut pura mente, ac fixa cogitatione mediter assidue inexplebili animo nocte ac die, divinarum Scripturarum eloquia, et psalmum dicam in confessione, et laetitia cordis orem ad gloriam, et honorem, et magnificentiam unigeniti Filii tui, et Domini nostri Iesu Christi, quem decet omnis gloria, honor, atque adoratio, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

\*528

## ORATIO AD DEIPARAM

- 341** Domina mea sanctissima Dei Genitrix, et gratia plena, Mater <sup>OG III, 528</sup> Dei benedictissima, Deo gratissima Deipara, vas divinitatis Unigeniti Filli tui, immortalis, et invisibilis Patris, sedes igniformis quadriformibus longe gloriosior, tota pura, tota immaculata, tota illibata, tota impolluta, tota irreprehensibilis, tota laudabilis, tota incorrupta, tota beatissima, tota inviolata, tota venerabilis, tota honorabilis, tota benedicta, tota memorabilis, tota desiderabilis, virgo anima, et corpore, et mente, cathedra Regis, qui sedet super Cherubim, porta coelestis, per quam nos a terra ad coelum currimus, sponsa Dei, per quam ipsi reconciliati sumus, inopinatum miraculum, inexplicabilis auditio, absconditi sacramenti divini manifestatio, inexpugnabile patrocinium, defensio fortis, fons vivificus, pelagus inexhaustum divinarum, secretarumque largitionum, ac munerum, altitudo divinis potestatibus sublimior, profundum ininvestigabile absconsarum cogitationum, naturae communis gloria, bonorum omnium erogatio, omnium post Trinitatem Domina, post Paraclitum alias consolator, et post Mediatorem mediatrix totius mundi, vehiculum intelligibilis solis, verae lucis, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum: ferens verbo omnia portantem, vestis immaculata eius, qui induit lucem sicut vestimentum: pons mundi totius ad altissimum coelum nos ducens: Cherubim, ac Seraphim sine ulla comparatione superior, ac longe gloriosior, \* Angelorum splendor, hominum tutela, clavis in coelum nos introducens, Mater et ancilla non occidentis stellae: splendor veri, mysticique diei, ininvestigabilis Dei bonitatis abyssus: currus divinus, et multi nominis, verae fidei firmissimum fundamentum: eius qui capi non potest, locus amplissimus: vitis vera vitae fructum proferens, oliva fructifera fidelium animas exhilarans, universalis protectio mundi, porta mysterii supra intellectum venerabilis, complementum gratiarum Trinitatis, veluti secundas partes tenens post

\*529

divinitatem: fulgur fidelium animas illuminans, peccatorum reconciliatio, stantium securitas, lapsorum revocatio, excitatio socordium, bene valentium robur, Ecclesiarum concordia, exercituum felicitas, bonorum omnium suppeditatio, urbium bona institutio, totius mundi pax, tolerantia monachorum, fortitudo athletarum: thesaurus vitae incorruptae, nubes fundens coelestem rorem in terram, scala per quam coelestes Angeli ad nos descendunt, portus tempestate iactatis, afflictorum gaudium, affectis iniuria patrona, derelictorum auxilium, infirmorum confirmatio, oppressorum recreatio, caecorum scipio, aberrantium salutaris dux, in necessitatibus auxiliator securus: arca sancta, per quam ab iniuitatis diluvio salvati sumus: rubus incombustus, quem vidit Moyses Divinitatis spectator: thuribulum aureum, in quo Verbum carnem incendens, mundum odore replevit, atque inobedientiae combusta sunt crimina: tabula a Deo exarata, septem luminum candelabrum, cuius splendor solares radios superavit: tabernaculum sanctum, quod spiritalis Beseelel aedificavit, regium vehiculum, vas manna repletum, hortus conclusus, fons signatus, cuius rivi purissimi irrigant totum mundum, virga Aaron divinitus florens, vellus Gedeonis rore madens, liber divina manu scriptus, per quem Adami chirographum scissum est, mons Dei, mons sanctus, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: radix sancta Iesse: civitas Dei, de qua gloriosa dicta sunt de te, ut David loquitur: maestitiae dissolutio, captivitatis liberatio, mortalium deificatio: pulchra natura, omnisque reprehensionis incapax, illa, quae a Libano \* virginitatis reddit, et mundum odoramentis replet, ex qua dulcedo defluens antiquam ligni acerbitatem dulcem effecit, quae totius divinae substantiae horrendum in modum capax fuit: munus quo cumque pretio excellentius, omnibusque bonis aestimabilius ornamentum: lectus Salomonis, quem circum assistunt sexaginta Potentes, sermones nempe Scripturae divinitus inspiratae. Locus luce repletus, ex quo salutis radii universo mundo illuxerunt: porta ad orientem respiciens Ezechieli, tremenda dispositionis magnificentia, speciosum divinae demissionis hospitium, mundi reconciliatio, nostrum propitiatorium et refugium, omnium bonorum donum optabilissimum, forceps ignifera, quam Isaias conspexit, mons virtutibus umbrosus, quem Habacuc praevidit, mons Danielis, a quo lapis abscissus est sine manibus, paradisus sanctissimus in Eden, lignum vivificum pulcherrimum, ac iucundissimum fructum ferens, malum odoriferum, rosa suave olens, flos immarcescibilis, lilium candidissimum, liber signatus, quem nemo legere potest, virginitatis exemplar sine scripto expressum, visio pretiosa Prophetarum, purpura a Deo contexta, omnis prophetiae manifestissima adim-

pletio, os loquax Apostolorum, vincentium fiducia invisibilis, regum firmitas, sacerdotum gloriatio, delictorum remissio, iusti Iudicis placatio, lapsorum resurrectio, mundi desiderium, meae animae corporisque restauratio, salus mea, consolatio mea, mea vita, mea lux, spes mea, refrigerium meum, animi mei voluptas, refugium meum, protectio, robur, laetitia, dulcedo, murus, subsidium, munitio, armatura, defensio, gloria, patrona, mediatrix, tranquillitas, tuitio, exultatio, pax, laudatio, gaudium, benedictio, anchora, abundantia, ros, dignitas, sanctitas, magnificentia, liberatio, molestiarum mearum consolatio, illuminatio ac sanctificatio animae meae, peccatorum meorum redemptio, oblectatio ex Deo animae meae, mei avidi cordis divina aspersio, tenebrosae meae animae lampas lucidissima, nuditatis meae operimentum, gemituum \* meorum sedatio, meorum infortuniorum correctio, continentia, purificatio, fortitudo, temperantia, virtutum ornamentum, mea libertas, portus, thesaurus, negotiatio vere aeterna, stabilis poenitentia, sublimitas, bona valetudo, species, robur, bonum consilium, intellectio, exultatio, Domina mea, gaudium meum, splendor meus, et ad Deum meum vigil custodia non erubescenda: vide meam fidem, meumque desiderium divinitus datum, tanquam quae compassionem, et potentiam habes. Tanquam vero Mater eius, qui solus bonus, ac misericors est, suscipe miserrimam animam meam, eamque dignare pertuam intercessionem defensionemque, parte dextera unigeniti Filii tui, et requie electorum sanctorumque ipsius; auxilium, defensionemque non habeo, praeter te: in te spero, voti compos ero: in te glorior: noli propter mea multa errata, atque iniquitates avertere faciem tuam a me indigno famulo tuo. Habes enim velle, et posse, tanquam quae modo inexplicabili unum ex Trinitate genueris: habes quo suadeas, quo flectas: habes manus, quibus eum inenarrabiliter portasti; ubera, quibus lac praebuisti: in memoriam revoca fascias, et reliquam educationem ab infantia: misce cum tuis ea, quae ipsius sunt, crucem, sanguinem, vulnera, per quae salvi facti sumus. Ne quaeso longe facias a me protectionem tuam; sed opitulare, et protege, ac praesto sis semper. Debitorem enim habes illum, qui dixit: *honora Patrem tuum, et Matrem tuam:* et quanto magis ipse, qui inter servos recenseri voluit, servabit gratiam, propriumque decretum tecum, qui ei ministra fuisti generationis ad redemptionem? Unde quoque honori sibi dicens tuis intercessionibus indulgere, etiam veluti debitas implet tuas postulationes: solum ne despicias indignum, neque mearum actionum foeditates tuam immensam misericordiam interrumpant: Dei Genitrix, meum desiderabilissimum nomen: nihil enim est firmius tropaeum, quam tuum

auxilium: tu enim abstulisti omnes lacrymas a facie terrae: tu creaturam replesti omni genere beneficii, coelestibus laetitiam attulisti,  
 \*532 terrestria \* salvasti, figmentum mutasti, artificem placasti, Angelos demisisti, homines exaltasti, superiora atque inferiora per te ipsam conciliasti, optima praeparasti, mutans omnia in melius: per te resurrectionis nostrae tesseram certissimam tenemus: per te coeleste regnum nos consecuturos esse speramus: te nostrae salutis auxiliaricem habemus, te christianorum coetus firmissimum murum possidet: tu Paradisi claustra aperuisti, tu adscensum ad coelos praeparasti, tu Filio tuo, et Deo adoptasti: per te omnis gloria, honor, et sanctitas ab ipso primo Adam, et usque ad consummationem saeculi, Apostolis, Prophetis, iustis, et humilibus corde, sola immaculatissima, derivata est, derivatur, ac derivabitur, atque in te gaudet, gratia plena, omnis creatura. Et ego in te confido propter te, quae verissime secundum carnem verum Deum peperisti, cui convenit omnis gloria, honor, atque adoratio cum Patre sine principio, et Sancto, et bono, et vivificante ipsius Spiritu, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

## ORATIO AD DEI MATREM

<sup>OG</sup>  
 III, 532 In te patrona et mediatrix erga Deum ex te genitum genus humanum, Dei Mater, felicitatem suam ponit, atque a tuo semper pendet patrocinio, teque solam habet perfugium, ac defensionem, utpote quae confidentiam habes apud ipsum. Ecce ipse quoque ad te venio ferventi animo, minime audens secure accedere ad tuum filium, sed supplex oro, ut per tuam intercessionem apud eum salutem consequar. Noli igitur despicere famulum tuum, qui omnem spem meam repositam habeo in te post Deum, noli aversari prorsus periclitantem, et in maximis aerumnis exercitum; verum, misericordia, ac misericordis Dei Mater, tui famuli miserere, et libera me a damnabili conscientia, compescendo cogitationum tempestatem, voluptatum fornacem extingue, carnisque incendium reprime, et dilectionem erga tuum filium, ac Deum meum accende, \* omnesque meos sensus tuere, nullum praebendo faedis cupiditatibus ingressum. Ut poenitentiae tempus mihi detur, supplex oro, ne me infructuosum mortis falx excidat, neque veluti sterilis igni tradar. Accende animae meae lampadem extinctam, meorumque moerorum caliginem dissipa, appetituumque meorum aegrotantium nebulam tuis precibus expelle. Multum enim potest materna precatio apud filium, qui facile flectitur. Da mihi poenitentiae lumen, atque ad

\*533

342

compunctionis diem manuducito, et dignum me fac, ut me geram secundum beneplacitum Dei benignissimi omnibus diebus vitae meae: et quousque in hac vita versor calamitosissima, defende, protege, custodi, naviganti adnaviga, iter agenti comes esto, dormientem tuere, atque omnes meas vias dirige. Quando autem erit, ut e corpore egrediar, adesto mihi Domina bonorum amatrix, intolabilemque dolorem illum alleva, ac meum laborem mitiga, et infelicitis animae meae ducem te praebet ad habitationes aeternas, ut ne potestas tenebrosa mihi occurrat, ac me ad profundum inferni pertrahat: placabilem iudicem videam, aspicientemque in me benigne: liberer a flamma sempiterna per te Dei Sponsam: perfruar Trinitate, quae voluptas est paradisi: regni coelorum compos fiam, ut te solam, quae humani generis praesidium facta es, et quae per tuum partum cladem primae parentis correxisti, quaeque peccatorum es patrona, ac desperantium consolatio existis, et quae afflictorum solamen nuncuparis; extollam laudibus, beatamque praedicem a te conservatus. Te etenim beatam dicent omnes generationes Virgo Domina Dei genitrix, spes christianorum omnium. Expelle a me misero, atque infelice servo tuo negligentiam, oblivionem, stultitiam, socordiam, vanam gloriam, adulterium, scortationem, praedicatum, gulam, omnesque malas, foedas ac maledicas cogitationes ex misero, atque infelici corde meo, et ex mea mente obtenebrata, et ab omnibus malis meis actionibus libera,flammamque pravorum affectuum extingue, quia infirmus sum, atque aerumnosus, quia omnium mortaliuum glorioseissima \* es. Gratias ago tibi Domina Dei Mater, et encomiis laudibusque te extollo, quod vires mihi praebuisti, ut pervenirem ad finem diei, atque ad hanc noctem, qua deprecor acceptissimum patrocinium tuum: da mihi remissionem negligentiae, ac pigritiae dominantis in me in ipsa usque adhuc: et tuis precibus promptitudine imple, ut divinis tuis laudibus, atque humanissimi Filii tui, et Dei operam dem, eo quod miser liberatus fui, atque eripior a variis morbis, calamitatibus, et tribulationibus, periculisque animae simul ac corporis: procido ante te, ac toto fervore extollo vocem ad gratiarum actionem ego famulus tuus, cuius tu maximopere benedicta miserta fuisti, propter immensam misericordiam ac commiserationem, utpote quae Mater es benignissimi hominum amatoris. Gaude purissima gratia plena: gaude immaculata Dei genitrix Virgo: gaude Virgo hominum gloria: gaude omnium prophetarum implementum: gaude perfectio omnium congregationum Domini: gaude ipsius Testamenti sigillum: gaude meta consiliorum illius: gaude manifestatio mysteriorum eius: gaude advocata infamatorum iniuste: gaude collectio iamdudum diffiden-

tium: gaudie fulcimentum inclinatorum deorsum: gaudie lumen in tenebris positionum: gaudie renovatio senescentium: gaudie propitiatio aberrantium, ac liberatio: gaudie lux errantibus viam demonstrans: gaudie portus, ac protectio navigantium: gaudie Patrona, et munitio in necessitatibus: gaudie salus secura fidelium: gaudie nova maxime, ac divina largitio: gaudie mortalium omnium Domina: gaudie laetitia, et gloria Angelorum: gaudie rerum omnium conditarum sublimissima: gaudie Dei existens etiam famula: gaudie benedictissima in saeculum saeculi: gaudie lignum opacum Virgo puella: ex quo omnes fructum decerpimus, quem comedentes exhilarantur, non moriuntur: gaudie Maria Virgo Mater, Mater Sponsa: gaudie ornamentum mundi muliebris: gaudie filia David splendide ornata: gaudie mensa mysticarum gratiarum: gaudie Regisque Deique mei victoria: gaudie tum Patriarcharum, tum \* vincentium exultatio: gaudie murus invocantium te: gaudie defensio simul, et firma protectio: gaudie omnino immaculata Dei divina sedes: gaudie splendida Dei Mater sola: gaudie Salomonis lectus sanctissimus: gaudie spiritualibus mentibus honorabilior: gaudie meorum delictorum solutio: gaudie Regina generis adamitici: gaudie gladius pravorum daemonum: gaudie ingentium bonorum servatrix: gaudie copiosissima sapientiae donatio: gaudie in periculis existentium solamen: gaudie inopum ditissima susceptio: gaudie omnium bonorum vitae gaudie omnium gratiarum causa. Quin, o sola Domina, meum ex Deo oblectamentum, ros divinus ardoris mei, arentis cordis mei aspersio divinitus manans, aridi mei fontis lacrymarum scaturigo ad expiationem mearum iniquitatum, obscurae animae meae lampas splendidissima, mei itineris directio, infirmitatis robur, nuditatis operimentum, paupertatis opulentia, immedicabilium vulnerum sanatio, lacrymarum ablatio, suspriorum sedatio, calamitatum levamen, vinculorum solutio, exaudi orationes meas, miserere meorum gemituum, et suscipe meas lamentationes. Miserere mei commota meis lacrymis. Commoveantur viscera tua erga me, tanquam mater benignissimi Dei: respice, atque annue ad meam obtestationem, et exple sitibundum meum desiderium, et respice graviter infirmum, atque in anima aegrotantem. Libera me ab affectione, quae in me dominatur, quaeque acerrime impugnat semper diu noctuque, atque ad mortem ducit miseram meam animam. Libera etiam me a sagittis Belial, atque a visibilibus et invisibilibus inimicis, et reple me divina voluptate, declarando me socium Sanctorum, ac iustorum simul, tua eximia apud Deum intercessione, et socia me cum servis, et famulis in terra mansuetorum, in tabernaculis coelestibus, in regione vivorum, in oblatione sanctorum: dignare me omnium

protectio, omniumque laetitia, atque voluptas, ut cum ipsis laeter,  
oro te, in gaudio illo vere inexplicabili Filii tui ex te geniti et Regis,  
et in thalamo ipsius, atque regno interminabili. Utique, Domina,  
refugium meum, vita et defensio, armatura et exultatio, spes \* et <sup>\*536</sup>  
robur, concede mihi, ut cum ipsis perfruar muneribus, ac thesauris  
inexplicabilibus, atque incomprehensibilibus filii tui in habitatione  
coelesti. Habes enim consentientem voluntati potentiam, tanquam  
Mater Altissimi, atque ideo fidenter spero fore me compotem, Do-  
mina mea, votorum meorum: compos fiam illorum, Dei sponsa,  
quae es omnium spes, quae supra omnem intelligentiam peperisti  
Dominum nostrum Iesum Christum, quem decet omnis gloria, ho-  
nor, et adoratio in saecula saeculorum. Amen.

## ORATIO AD SANCTISSIMAM DEI GENITRICEM

**343** Inocidui luminis Mater, audi me, precor, confitentem: coeno <sup>OG III, 536</sup>  
enim, ac sordibus repletus sum, et tenebris miser obrutus: terram,  
heu infelix, maculavi compluribus meis criminibus, Domina. Ideo  
clamat nunc suspirans contra me apud Iudicem incorruptum, alle-  
gans etiam testes coelum cum astris, et solem. Tempestas etiam  
cogitationum mearum demergit ad desperationem. Anima mea cum  
timore procedit praestolans fugere condemnationem. In te, Dei  
Genitrix, totam spem meam ego luxuriosus reposui. Vide, tota con-  
fusione repleta est, heu mihi, facies famuli tui. Saltem ora sine in-  
termissione quem peperisti, ut etiam mei indigni misereatur: dis-  
solve sola, vincula mea indissolubilia, tu quae Reparatorem mundo  
genuisti. Denigratum me, atque in tenebras conversum, poeniten-  
tiae lacrymis dealba: mortuum me ob nimiam segnitem, tu quae  
vitam meam peperisti, resuscita. Me peregrinum factum Deo, et  
Angelis, ad eos rursus reducito, Dei Genitrix. Spectaculum vere  
horrendum: quomodo meas iniquitates pertulit Dominus? Quo-  
modo statim in profundum inferni non deiecit me miserum vivum?  
Quomodo securim non dimisit e coelo clam, vel gladium, ut me  
feriret? At tu omnino tuis deprecationibus vitam mihi, o Domina,  
largita es, meam quaerendo poenitentiam, quam mihi servo tuo,  
benignissima, fac praebeas. Tu enim murus meus, et \* portus, et <sup>\*537</sup>  
munitio facta es: lux divinae faciei tuae mihi affulgens, ut media  
nocte hymnum persolvam. Largire mihi, Domina, compunctionem,  
suspiria non intermissa, et lacrymas: ablue meae animae valles,  
perfectamque mihi indulgentiam concede, tu quae concepisti Deum  
hominem factum. Videam te mentis oculis, Immaculata, media  
nocte, et gaudeam. O robur, o spes non erubescenda, o vita, ac

dulce lumen servi tui, a lingua profana, atque ore immundo hanc orationem excipe. Nunc nox fiat servo tuo salutis dies, Dei sponsa. Nunc laetentur Angeli super me, Domina, ac iustorum spiritus, ut laudare possim cum gratiarum actione hilari animo sanctissimum nomen tuum. Tu potes, omni laude maior, quaecumque vis (nec dubito) apud Deum, quem peperisti. O Trinitas, adoratio convenit tibi. O Dei Mater maior omni cogitatione, atque eloquio. O Virgo omni virginitate sine controversia sublimior, tanquam Virgo etiam ante divinum partum super omnes virgines, quae fuerunt, et in ipso partu, ac post partum eadem permanens, per quam hominum natura, quae iamdiu prolapsa longe a Deo recesserat, benignitatis inexplicabilis, atque incomparabilis demissionis modo, cum beata, ac divina natura copulata est, quum nullo pacto... persona conversionem, aut confusionem, mutationemve passa sit: per quam, post etiam unionem maxime tremendam, et reconciliationem, invidia maligni, ac mentis nostrae stultitia, a iustitia delapsi, rursus revocamur; tuumque filium, ac Deum nobis propitium invenimus propter indefessas intercessiones tuas apud eum. Domina, te oro, ac deprecor misericordem, atque benignam Dei misericordis, ac benigni Matrem, meam defensionem suscipe etiam hora haec, mei indigentis, si unquam alias, maxime nunc tuo patrocinio, ac protectione. Quoniam enim prorsus impuritas sum, et peccatorum colluvies, atque, ut breviter dicam, mortiferorum omnium vitiorum receptaculum, ad intemerata, ac tremenda filii tui, et Dei mysteria venire cupio; totis artibus contremisco, et terrore corripior propter \*intolerabilem multitudinem nostrarum iniquitatum. Quem enim meorum sensuum miserum in modum minime inquinavi? Quibus non corruptus sum turpibus cogitationibus, et fictionibus vanitatis? Quis captivitatis modus non tenuit omnino mentem meam? Non solum enim, in quas miserum in modum incidi pravas affectiones, in iis praeeoccupatus tanquam captivus, huc, et illuc feror, neque eae, quas per sensuum intemperantiam ex alienis actionibus, aut conversationibus, aut per transitum in auditum incidentibus, aut visis, congessi in me malas imagines, dissipant mentem; verum etiam, quae nondum fuerunt, neque existent, neque audita sunt, neque visa, consentiens aegrota mens mea, et fragilis, et puerilis, et infructuosa, auctori malitiae, et tanquam existentia sibi fingens, in his miserae vitae tempus consumpsi. Talibus, ac tantis adhaerescens malis, ad huiusmodi excellentes res, ac divinissimas, quas certe etiam Angeli prospicere desiderant, accedere proposui, o Domina, et vereor, ne forte tanquam indignus, ut ille non vestitus veste nuptiali, ligatis manibus, et pedibus proiiciar in

tenebras loco illuminationis, et participationis gratiae divinae, damnatus ad mihi convenientem habitationem tenebrarum. Verum quid ago? Indigne certe participans mysteriorum huiusmodi tremendorum, tantas et peiores expecto poenas subire. Expers vero horum aliquando permaneo, multumque indignitatem extendens, in profundum, ut ita dicam, malorum incidunt contemnendo, earumdem etiam castigationum, vel etiam maiorum, etiam hoc pacto reus fio. Angustiae igitur undique mihi sunt in opere. Ideo etiam ad te confugio, auxilium inexpugnabile, et revera fortissimum. Commoveantur igitur viscera tua, Domina purissima, erga me, et utens libertate materna cum tuo Filio, et Deo, remissionem exposce porro errorum praeteritorum. Fac me vero facilem ad concipiendum ignem comburentem, atque illuminantem mysteriorum vivificorum ipsius, eo magis quod possides voluntatem excellentissimae potentiae correspondentem, et dignare me purum fieri, et illustrari horum participatione, ac reliquum vitae \* meae in poenitentia, et castitate, atque humilitate percurrere doce, in operibus, in sermonibus, in cogitationibus, in omnibus animae et corporis motibus semper assistens, dirigens, praesidens, manuducens, contrarias avertendo potestates, et tanquam servum, quamquam inutilem, tuae bonitatis omnimode fovendo, ac custodiendo. Utique, Domina semper benedicta, ne despicias vacuas preces meas indignas et miserabiles. Sed et in hac vita, et in exitu infelicitis animae meae, et in futuro tremendo, atque incorrupto iudicio adesto mihi adiuvando, et liberando ab omnibus rebus infaustis. Ut gratia tua salvus factus, benedicam, et laudem te, et tuis splendoribus illustratus, ad laudationem, ad gloriam, ad adorationem extollar optimae, et omnium effectricis, et beatae Trinitatis, in universa saeculorum saecula.

\*539

## ORATIO AD DEI GENITRICEM

- 344** Domina laudabilissima atque optima, misericordiae fons, bonitatis abyssus, aqua viva, peccantium patrona, fluctuantium portus: quae sine semine in utero Deum suscepisti, et digna putata es fieri Mater Dei: vitis vera, vas continens manna, cudentium correctio, cunctorum refugium, totiusque mundi vita: me execrabilem, scorborum amicum, et turbulentum, negligentem mente et actione atque electione, qui meam vitam luxuriose consumpsi; age, ut Dei Mater benignissima simul et misericors, noli respuere me peccatorem atque impurum; sed accelera suscipere deprecationem prolatam ad te a sordidis labiis meis, conciliando mihi benevolentiam Iudicis, precibus acceptissimis, atque humanissimis tuis, quae vere

OG III, 539

es purissima et Dei Mater. Pande mihi viscera misericordis Filii tui: deprecare ut errores meos despiciat: dirige cogitationem meam ad poenitentiam, et mandatorum ipsius fac me executorem probatum; et ne sinas, ut evadam praeda aut cibus Satanae lethifери, sed renova me tua intercessione multis iam inveteratum peccatis; et meam hanc attritam vitam corrige, ut habens te praestantissimam mediaticem, inculpate ante Iudicem adstem, tremendumque supplicium \* effugiam, atque ipsius gloriae haeredem declares tua intercessione, ut eam consequar, Immaculatissima, deprecante te factorem meum, quem decet gloria, honor atque adoratio in saecula. Amen.

\*540 Virgo Domina Mater Domini mei Iesu Christi, scio me impurum esse, et profanum, et execrandum, et indignum, quoniam supergressae sunt caput meum iniquitates meae: multiplicatae sunt enim super arenam maris: putruerunt, et corruptae sunt cicatrices meae animae ex multis malis meis: sed venio ad te poenitens, et procidens ante te, confitendo omnia mea peccata gravissima. Te Dei Matrem saepe ad iram provocavi insordescendo meis impuritatibus: miserere mei tu, quae omnium humanissime misereris, et mihi ignoscere, et noli me, Domina, despicer: neque avertas faciem tuam a me. Et aversus ero miserrimus, heu heu, a te? Minime, Domina, minime gaudeant in hoc, heu, heu, inimici mei. Excita cogitationem meam ad poenitentiam, et manuduc me in viam salutis, quam quum invenero, ac tenuero, habeam te comitem, et tuo ductu salvus ero. Utique, Domina Mater humanissimi Dei, confringe cor meum, atque illud deprime, et reple oculos meos lacrymis spiritibus, eosque illumina luce tuarum intercessionum, ne obdormiam in morte. Asperge me hyssopo misericordiae tuae, et expurga me, abluens me per tuam gratiam meis lacrymis, et super nivem dealbabor. Utique, Mater Domini mei Iesu Christi, suscipe miseram hanc meam confessionem et petitionem, ac praeside meae menti, et reliquum vitae meae sine scandalo in poenitentia conserva, et tempore exitus humilis animae meae a corpore, quando loquuturus sum cum inimicis in porta, heu, exhibe te mihi, Domina, cum oculo tuo misericordi, et libera me ab acribus ratiocinatoribus, exactoribusque gravibus potestatum saeculi huius, et dele tunc omnia peccatorum meorum chirographa, atque adducito me a confusione liberum, ac salutis securum, ad tribunal Filii tui et Patris ipsius, qui principium non habet, Spiritusque sanctissimi, unius principalisque luminis, et consubstantialis \* Trinitatis. Humanissima Mater benigni et misericordis Dei: misericors et bona, boni ac miserentis nutrix Virgo Domina, inclina aurem tuam, et exaudi me de excelso gloriae

tuae. Verba mea auribus percipe, purissima: intellige clamorem meum de profundo: attende voci anxiae deprecationis meae: auxiliatrix mea, da mihi sermonem in aperitione oris mei: tu quae praebuisti mihi vitam tua intercessione, ut annunciem magnificantias tuas, antequam abeam, et non detur ibi confiteri, postquam hinc profectus misere conclusus fuero. Peccavi, purissima, peccavi, et iniquitates meas ego cognosco: et peccatum meum coram me est semper. Respice in meam ultimam hanc deprecationem, et confessionem servi tui: praebe mihi fontes operosarum lacrymarum, lavacrum sordidae animae expiatorium: ablue peccatorum meorum sordes: planta in lapideo corde meo timorem sanctum Filii et Dei tui: ingrediatur in interiora mea, per quem pariam ex afflita anima mea etiam expiantem lacrymam, et parietur in me Spiritus salutaris... Solis splendidissimi nubes, effulge lumen intelligibile obte-nebratae et sordescenti menti meae, dissipando et fugando densam nebulam continuarum cogitationum mearum, ut in tranquillitate ac hilaritate lucis visitationisque tuae perfectum offeram sacrificium, atque acceptabilem hostiam, quam commendavit Filius tuus et Deus meus, qui venit non vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam et me indignum tua intercessione suscipiat. Multi sunt ex peccatoribus a saeculo, optima Domina, multi ex lapsis, multi ex exacerbantibus, et non custodientibus mandata Filii tui: verum nemo est, quem non superaverit multitudo mearum iniquitatum in cognitione. Totum enim vetus, et novum Testamentum bona opera iustorum resonuit, et peccatorum atque iniquorum scelera, actionesque ad perpetuam infamiam insculpsit: sed interius tribunal conscientiae meae, graviorem omnibus esse conspiciens, circumfert odium peccatorum, pondus malorum a saeculo tanto maius, quanto levior, ac remissior est condemnatio ob ignorantiam, quam ex scientia. Mandatum, et legem accepit \* Adam, sed non observavit; verum experientiam nondum habuerat, purissima, lapsus alieni, et condemnationis: ego autem pro mea defensione quid respondebo miser? Omnino nihil. Tanquam enim intemperans, et flagitosus festinavi fieri malus, et ideo excusationem non habeo. Omnium miserorum miserrimus evasi, eorum qui ex Adam nati sunt, et Cain et La-mech, et eorum, qui turrim moliti fuerunt, et sodomitarum flamma absumptorum, et eorum qui sub Noë diluvio perierunt, aegyptiorum pessimorum, qui condemnati sunt, ego damnabilior, omniumque infelicium infelicissimus, et omnium novi Testamenti peccatorum me ipsum cognosco maximum peccatorem: baptizatus enim, foedatus sum: ablutus, sum inquinatus: honoratus gratiae dignitate, peccati dedecus indui: gratiam inutilem reddidi monasticae professio-

nis. Quis igitur mihi sermo, aut tempus, aut modus satis erit ad expiationem iniquitatum huiusmodi? Tam magnum enim, Sanctissima, est pelagus intolerabile meorum delictorum, tantus malorum meorum impetus. Quis fiam? Qualem viam ingrediar? Coelestis est invia, angusta terrena, subterranea terret, maritima impedita est. Vides necessitatem inconsideratam, cernis consilii inopiam insuperabilem, discrimen ferme violentum, et sermonis exhaustur meum instrumentum. Potens potentis, et viventis Dei Mater, da mihi anxiō manum auxiliī: mirifica misericordias tuas super me miserum: exēcita animam meam, dicens, salus tua ego sum: auxiliatrix mea, et protectrix mea es, Immaculata. Suscipe deprecationem meam indigni servi tui. Credo, purissima, te posse hoc facere. Salvum me fac, via secura poenitentium. Ostende in me omnium miserrimo, atque infelicissimo maxime admirabiles misericordias tuas, spes, Domina, Dei Genitrix. Tu enim noscis cogitationes et operationes meas, atque infirmitatem abiectae naturae, et tibi commendo meam animam foedatam peccatis, et turpibus cogitationibus. Tu vides, Domina, ulcera vulnerum meorum, et prava desideria. Tu medelam tribue effundendo guttam benignae tuae compassionis. \* Respice Domina mea Dei Mater, et placidum redde erga me Filium tuum, et universorum Regem, qui publicaturus est coram Angelis et hominibus meas pravas cogitationes operationesque. Excipit te tanquam Matrem benignam pro anima in desperationem adducta deprecantem, utpote quae es refugium peccatorum, pro defensione enim, et perfugio, atque auxilio talem te constituit peccatorum mei similium Filius et Deus tuus, quem decet omnis gloria, honor, et adoratio cum Patre ipsius sine principio, et sancto, et bono, et vivificante eius Spiritu, nunc, et semper, et in saecula saeculorum.

\*543

## ORATIO AD DEI GENITRICEM

OG  
III, 543

Virgo Domina Dei Genitrix, salus communis generis christiano-rum, tu quidem veluti Mater nobis prospicere non desistis; verum tanquam filiorum amans, atque ad amandum propensa ita tua beneficia nobis distribuis semper, salvans, defendens, custodiens, a periculis me liberans, a temptationibus eximens, a peccatorum multitudine redimens. Nos autem pro his gratias agimus, praedicamus munera, non caelamus beneficia, cantamus elata voce tua mirabilia, curam laudamus, providentiam extollimus, praesidium hymnis prosequimur, misericordiam commendamus: et quoad praeterita, memores magnorum tuorum munerum, et ex quantis periculis erepti sumus per te, hoc eanticum eucharisticum tanquam debitum

345

offerimus tuis beneficiis par minime futurum. Quid enim esse potest correspondens? Verumtamen audaciores facti, supplices petimus a tua misericordia, ut eiulatum tuorum famulorum suscipientias, ponasque postulationem ante Deum nostrum ex te genitum, ut nos eripiat a damnatione aeterna: ut laudemus sanctissimum nomen Patris, et Filii, et Spiritus Sancti nunc, et semper, et in saecula. Vides o sanctissima Domina Deipara, quot malis nos malus pessimusque daemon circumdat. Ecce ad pravos affectus quamplurimos, atque inexplicabiles nos commovet. Surge igitur, et ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis, et obliviouseris \* inopiae nostraræ? Dissipa pravi daemons insidias, recipe nos bellum gerentes, compesce Dei iram contra nos excitatam propter multos meos errores, tua intercessione, ut ad ingentia beneficia etiam hoc accidente, extollamus laudibus nomen tuum, Filii, et Dei nostri, una cum Patre ipsius sine principio, cum...

\*544

Domina Dei Mater, quae peperisti Christum Deum Salvatorem nostrum, in te repono spem meam totam, et in te confido sublimior rem omnibus coelestibus potestatibus. Tu me, purissima, tua divina gratia communias, et vitam meam gubernes, atque ad sanctam voluntatem Filii tui, et Dei nostri dirigas. Tu mihi largire errorum remissionem. Esto refugium, protectio, et liberatio, et manuductio in vitam aeternam transmittens, et in hora postea mortis, Domina, Domina, ne derelinquas me, sed ad adiuvandum me festina, et eripe ab aspera daemonum tyrannide. Habes enim cum voluntate potestatem, tamquam optima Mater Christi Dei nostri, ipsi... Tu sola Domina Dei Genitrix es sublimissima super omnem terram. Nos autem te, Dei Sponsa, fide benedicimus, dilectione honoramus, et honore colimus, semper te magnifacientes, ac venerandum in modum beatam praedicantes. Tu enim honor honorum es, et praemium praemiorum, et sublimitatum sublimitas. Verum, o Domina, mea post Deum oblectatio, divinus ros ardoris in me aestuantis, aridi cordis mei conspersio divinitus manans, tenebrosae animae meae lampas lucidissima, meae indigentiae directio, infirmitatis potentia, nuditatis indumentum, paupertatis opulentia, immedicabilium vulnerum medela, lacrymarum sublatio, suspitorum sedatio, infortuniorum commutatio, dolorum levamen, vinculorum meorum solutio, spes salutis meae, exaudi preces meas, miserere meorum gemituum, et suscipe meas lamentationes, miserere mei inclinata lacrymis meis. Commoveantur tua viscera erga me, tanquam Mater Dei benigni. Respice, atque annue ad meam deprecationem, imple desiderium meum sitibundum, et coniunge me cum cognata et conserva, in terra mansuetorum, in tabernaculis iustorum, in choro Sanctorum, et dignum \* me fac tu omnium patrocinium, et \*

\*545

omnium gaudium, et pura voluptas, ut tecum exhilarer: haec peto a te, in illa laetitia vere inenarrabili Dei, et Regis ex te geniti, et in thalamo ipsius inexplicabili, et delectatione indefinienti, atque insatiabili, et in regno inocciduo, perpetuoque ipsius. Utique, Domina mea, utique meum perfugium, vita, et protectio, armatura, atque exultatio, spes, et robur meum: da mihi, ut tecum fruar Filii tui donis inenarrabilibus, atque imperceptibilibus, in statione coelesti. Habis enim, habes, scio, voluntati parem potentiam, tanquam Mater Altissimi. Propterea audax factus sum. Fac igitur, ne frustratus maneam, purissima Domina, mea expectatione; verum consequar illam, Dei sponsa, tu quae supra captum peperisti omnibus expectatum Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum, Dominumque, cui convenit omnis gloria, honor, et veneratio cum Patre ipsius sine principio, et sanctissimo, atque optimo, ac vivificante ipsius Spiritu, nunc et semper, et in saecula saeculorum.

#### ORATIO AD SANCTISSIMAM DEI MATREM

<sup>OG</sup>  
<sup>III. 545</sup> At, o Virgo Domina, immaculata Deipara, Domina mea glorio-  
sissima, beneficentissima mea, coelis sublimior, multo purior sola-  
ribus splendoribus, radiis, fulgoribus: honorabilis magis quam Cher-  
ubim, et sine ulla comparatione magis quam coelestes exercitus  
multo gloriosior, Apostolorum exultatio, praedicatio Martyrum,  
Sanctorum gaudium, ascetarum lux, altare aureum, lampas illu-  
minans, vas ferens coeli manna, arca vera, lex divinissima, rubus  
incombustus, locus amplissimus, virga illius Aarons germinans,  
virga vere apparuisti, et flos Filius tuus verus Deus noster, Deus,  
et factor meus: tu secundum carnem Deum genuisti, et Verbum,  
ante partum virginitatem servans, Virgo post partum, et reconciliati  
fuiimus cum Christo Deo, et Filio tuo. Tu auxilium peccato-  
<sup>\*546</sup> \* rum, et iactatis fluctu sine ulla ope tu es portus, mundi consolatio,  
orphanorum protectio, et premium redemptionis captivorum. Tu  
monachorum firmamentum, et saecularium spes: tu viduarum pa-  
tientia, protectio, et tegumentum, et virginum exultatio, et corona,  
et oblectatio: puella augusta, et hera, Regina, Domina, sub alis  
tuis protege, custodi me, ut ne contra me Satan exultet, qui per-  
niciem creat, neque adversus me scelestus inimicus meus extollatur.  
Tu enim, purissima, es meus portus, auxilium, et praesidium: ne-  
que agnosco, Domina, refugium aliud. Deprecor te, Domina, multis  
cum lacrymis, ne dulcis Filius tuus creator, et factor absindat pro-  
pter multa, quae egi, peccata; precor vero te, ut facias venire ad Chri-  
stum, atque intrare in aulas illas Sanctorum, ubi non est lacryma,

neque tribulatio, neque moestitia, neque mors, non tormentum, non angustia, sed gaudium inexplebile, voluptas iustorum, et delectatio indeficiens, vita non habens finem, oblectamentum, et exultatio, et gloria, et splendor. Imple quoque os meum gratia dulcedinis tuae, et move linguam meam, ac labia mea, ut hymnos cantem ex animo festivo, et corde prompto, et melos illud angelicum ex hymnis compositum, quod Gabriel pronunciavit tibi, Virgo Mater. Dignare famulum tuum abiectum Virgo, ut redimatur ab affectionibus pravis, atque ab omni peccato: dissipata omnem cogitationem, quae a diabolo assidue mihi immittitur, ut ferat in praeceps miserrimam animam meam usque ad tartara inferni: libera me, sanctissima mea, a laqueis ipsius. Da mihi timorem Dei, et dilectionem, Virgo, propositum Deo dignum, et vitam puram, caritatem erga Dominum simul et proximum, patientiam, humilitatem, continentiam, iejunium, lacrymas compunctionis, Virgo, expurgantes, meditationem terribilium suppliciorum illorum, conversionemque a malis, quae patravi miser. Etenim ex industria, ut tu scis Virgo Mater, non est mihi spes salutis. Corrupi, atque efferavi animam meam, et corpus infelix iam \* inde a tenerrima aetate, vas factus sum sceleratum, inutile, corruptum, omnino sectatus sum miser Belial in cogitationibus simul, et operibus, et actionibus turpibus: usque adhuc execrandus trahit me, o Virgo, ad suas voluntates. Heu mihi infelici, insidias pessimus struit mihi quotidie, et cogitationes malevolas ferre non possum. Affectionem enim erga peccatum malam acquisivi, ac vix statim, et aliquando resipiscere cupio. Iure iurando terribili, infelix, et pactis me obstringo ex toto corde meo cum tuo Filio, et Deo. Dimitte mihi, dico, Domine, peccata mea, et statuo ex hoc tempore, non amplius te offendam. O longanimitatem tuam, Christe mi, vivificus largitor. Oh quomodo tolerat, Domina, misericors Filius tuus videns spretum perjurium et mendacium, quod habeo miser supra modum. Simul ac componor ego (o temeritatem, et spretum!) rursus ad priora redeo, atque in peius trahor profanus, et mendax: ac tanquam canis saturatus supra modum, sicut ad proprium vomitum revertitur, ita etiam ipse vado, vertor ad ea quae retro sunt, neque omnino sentio miserimus. Verum et ad desperationem saepe Belial proiicit me, Sanctissima mea. Ideo auxiliare mihi, ne permittas, Domina, diaboli me ludibrium fieri, purissima: sed eripe me a manibus maligni, ac dolosi deceptoris; et servum me fac Filii tui, Virgo, vasque rursus aptum sanctissimi Spiritus obumbrantis te, temporibus extremis: et salvum me fac, omnibus laudibus celeberrima, sicut vis, et sicut scis: et concede mihi, ut te extollam, et nominem ex corde. Salve,

canticum Cherubim, hymnusque Angelorum. Salve pax, et gaudium humani generis. Salve Paradisus deliciarum, salve lignum vitae, salve murus fidelium, portus periclitantium, salve revocatio Adami, salve Evaе pretium redemptionis, salve fons gratiae, et immortalitatis, salve sancti Spiritus fons signatus, salve templum divinissimum, salve sedes Dei, salve pura, quae draconis nequissimi caput contrivisti, et in abyssum proiecisti vinculis constrictum, salve perfugium afflictorum, salve maledictionis solutio, per quam laetitia \* mundo apparuit, immaculatissima Virgo ob tuum partum, salve Mater Christi Filii Dei vivi. Quem decet gloria, et honor, adoratio, et hymnus nunc, et semper, et ubique. Amen, in saecula.

## ORATIO EXOMOLOGETICA AD SS. DEI GENITRICEM

<sup>OG</sup>  
<sup>III. 548</sup> Virgo Domina Dei Mater, quae Verbum secundum carnem genuisti, scio profecto, quam non sit conveniens, neque dignum, me adeo luxuriosum respicere imaginem tuam, quae pura, quae semper virgo tum corpore, tum anima fuisti, integra et immaculata. Aequum enim est, me tam impurum a tua puritate odio haberi, atque abhorri. Verumtamen, quoniam hac de caussa Deus, quem genuisti, homo factus est, ut vocaret peccatores ad poenitentiam, excipe praesentem confessionem meam multorum, graviumque delictorum, et adduc ad unigenitum tuum Filium et Deum, deprecans, ut placatus fiat erga infelicem miseramque animam meam. Nam propter multitudinem iniquitatum mearum impedior, quo minus in ipsum oculos figam, atque exposcam remissionem: et propono te postulatrixem simul, et mediatricem, quia multa, et magna dona consecuta es a Deo, qui me formavit, quum immemorem me ostenderim, miser, atque ingratum. Merito comparatus sum iumentis insipientibus, et similis factus sum illis. Virtutibus vacuus, pravis affectibus dives, ignominia plenus, confidentiae divinae expers, condemnatus a Deo, deploratus ab Angelis, irrisus a daemonibus, a conscientia reprehensus, a pravis meis actionibus confusus, et ante mortem mortuus existens, et ante iudicium a me ipso iudicatus, et ante interminatum supplicium a me ipso cruciatus ob desperacionem sum. Idecirco ad tuam, et solam efficacissimam protectionem, Domina Deipara, configlio ipse, qui sum decum millium talentorum debitor, qui per lasciviam paternam substantiam cum meretricibus abligurri, qui plus quam Manasses scortatus sum, qui plus quam dives ille immitis evasi, ingluviei servus, pravarum \* cogitationum sentina, turpium sordidorumque sermonum promus, omni impuri-

<sup>549</sup>

347

tate refertus, atque ab omni bona exercitatione alienus. Miserere humilitatis meae, Immaculata: compatere meae infirmitati, purissima. Magnam habes confidentiam apud eum, qui ex te natus est, ut nemo alius: omnia potes, tanquam Dei Mater; omnia vales, veluti quae superas omnes creaturas: nihil tibi, si vis, impossibile est: dumtaxat ne despicias meas lacrymas, ne dedigneris mea suspiria, ne repellas meum laborem ex corde, ne confundas expectationem meam a te; sed maternis tuis precibus, misericordiae Filii tui, quae cogi non potest, vim inferens, dignare me infelicem, atque indignum famulum tuum, primum, antiquumque decorem recipere animae, abiicere foeditatem pravorum affectuum, liberari a peccato, servum fieri iustitiae, exuere pollutionem carnalis delectationis, induere sanctitatem puritatis animae, mortuum fieri mundo, vivere virtuti, comes facta mihi viatori, in mari iter agenti adnavigando, semper daemones me impugnantes superando, vigilantem me confortando, dormientem custodiendo, afflictum consolando, animo concidentem revocando, infirmum roborando, peccantem liberando, calumniis circumventum absolvendo, periculo mortis proximum paeveniendo, terribilem ostendendo me hostibus visilibus, atque invisibilibus quotidie, ut cognoscant omnes daemones iniuste in me tyrannidem exercentes, cuius servus sim. Utique, sanctissima Domina mea Dei Mater, exaudi meam hanc orationem miserandam, et ne confundas me ab expectatione mea, spes omnium finium terrae: carnis meae aestum extingue, excitatam in mea anima tempestatem ferociissimam iracundiae intempestivae mitiga: tumorem, atque iactantiam inanis adolescentiae dele ex mente mea: nocturnas imagines malorum spirituum, ac diurnas impurarum cogitationum aggressiones ex meo corde minue: doce meam linguam loqui utilia: erudi oculos meos, ut recte videant virtutis rectitudinem: pedes mei, fac, ut currant assidue beatam viam mandatorum Dei; manus meas praepara, ut sanctificantur, ut digne extollantur \* ad Altissimum: expurga os meum ut confidenter invocem Patrem terribilem Deum, ac sanctissimum. Aperi aures meas, ut sensu, et mente dulciora super mel et favum sanctorum Scripturarum eloquia excipiens, ea exequar a te confortatus: da mihi tempus poenitentiae, et conversionis cogitationem: libera me a morte repentina: ab occultis conscientiae stimulis vindica: tandem adsis mihi in divisione miserae animae meae ex infelici hoc corpore, allevando intolerabilem illam violentiam, levem reddendo inexplicabilem illum laborem, consolando inconsolabilem illam angustiam, eripiendo me a tenebroso daemonum aspectu, ab acerbissima redditione rationum, redimendo a publicanis aëris, et potestatibus tenebrarum; gladios multorum criminum

meorum effringendo, Deum mihi conciliando, statione a dextris ipsius beata in tremendo iudicio dignando; ab aeternis, atque intolerandis eripiendo suppliciis; haeredem reddendo sempiternorum immortaliumque bonorum. Hanc tibi offero confessionem, Domina Dei Mater, lux oculorum meorum, qui tenebris offusi sunt, consolatio animae meae, spes mea post Deum, et salus: quam libenti animo excipe, atque expurga me ab omni inquinamento carnis et spiritus, reddens me dignum in hoc saeculo, ut sine ullo crimine particeps fiam immaculati Corporis, et Sanguinis Filii, et Dei tui; in futuro vero dulcedinis tui coelestis convivii, delectationis paradisi, regni Dei, ubi est habitatio omnium laetantium: et quum assecutus fuero haec bona celebrabo in saeculum saeculi magnificum nomen Filii, et Dei tui cum ipsius Patre sine principio, et omnino sancto, et bono, et vivificante eius Spiritu nunc, et semper, et in saecula saeculorum.

## ORATIO AD SS. DEI GENITRICEM

<sup>OG</sup>  
<sup>III, 551</sup> Virgo Domina Dei Genitrix, quae unigenitum Dei Verbum, 348  
omnis visibilis, atque intelligibilis creaturae factorem, et Dominum,  
unum Trinitatis Deum, Deum pariter, et hominem, supra naturam,  
et supra captum genuisti: habitaculum divinitatis, totius sanctitatis,  
et gratiae receptaculum, in quo plenitudo divinitatis corporaliter  
habitavit, ex Dei beneplacito, atque operatione sancti Spiritus:  
quae supra omnem creaturam regali, et prope divina dignitate col-  
locata es, et superemines, gloria, et oblectatio, et inexplicabilis lae-  
titia Angelorum: regia Apostolorum ac Prophetarum corona: egre-  
gia, atque admirabilis Martyrum fortitudo: certaminum ipsorum,  
et victoriae causa; atque athleticarum coronarum, aeternarumque  
ac retributionum Deo dignarum conciliatrix: excellentissima Sanc-  
torum dignitas et gloria: quietis secura dux et magistra; revela-  
tionum, spiritualiumque mysteriorum porta, fons luminis, ianua  
aeternae vitae, misericordiae flumen inexhaustum, omnium cha-  
rismatum coelestium, ac miraculorum mare indeficiens. Te oramus,  
et te deprecamur Matrem maxime misericordem begnissimi Domini.  
Propitia sis nobis abiectis, indignisque famulis tuis: respice bene-  
volis oculis captivitatem, humilitatemque nostram: sana contritio-  
nes animarum, et corporum nostrorum; visibiles, atque invisibles  
hostes disperge: turris fortitudinis, armatura bellica, acies robusta,  
et dux, et propugnatrix invicta esto nobis indignis a facie inimico-  
rum nostrorum. Ostende in nobis misericordias tuas antiquas, et

mirabilia hodie: ostende iniquis hostibus nostris, solum Regem esse, et Dominum tuum Filium, et Deum, et te proprie Dei Matrem, quae verum Deum secundum carnem genuisti, et te posse omnia, et omnia efficere potentem esse quaecumque vis in coelo, et in terra. Concede omnibus quaecumque petunt, unicuique conducibilia, Domina, aegrotis sanitatem, navigantibus tranquillitatem, et regimen, iter agentes comitando, ac custodiendo, captivos a servitute acerba redimendo, moerore affectos consolando; paupertatem, \* omnemque <sup>\*252</sup> aliam aerumnam allevando; ab animae morbis, pravisque affectinibus liberando universos tuis invisibilibus patrocinii, atque adhortationibus, ut viam temporalis huius vitae bene ac sine offensione confidentes, illa etiam aeterna bona, per te, in regno celorum consequamur: reges vero nostros fideles, terribili nomine Unigeniti Filii tui honoratos, confidentesque tuo patrocinio, et gratia, ac te omni in re mediatricem, ac protectricem praetendentes; contra hostes invisibiliter aggredientes roborato, dissipata animis eorum incumbentem nubem tristitiae, eripe a labore animas ipsorum, et splendidam tranquillitatem, laetitiamque introduceito: pacificam, ac seditione liberam potentiam, et Regnum ipsis comparando. Libera, Domina, tuis precibus gregem hunc peculiari modo in te confidentem, et totam urbem, et regionem a fame, terraemotu, alluvione, igne, gladio, incursione barbarorum, et bello civili, omnemque iram contra nos commotam iuste, averte beneplacito, et gratia unigeniti Filii, et Dei tui, cui convenit omnis gloria, honor, atque adoratio cum Patre ipsis sine principio, et coaeterno, et vivificantie eius Spiritu, nunc, et semper et in saecula saeculorum.

THRENI, ID EST, LAMENTATIONES GLORIOSISSIMAE  
VIRGINIS MATRIS MARIAE, SUPER PASSIONE DOMINI

**349** [...] Mortem atque interitum tua morte protrivisti ac conculcasti: ut gaudium maius mihi humili Matri tuae affulgeat, mecumque laetentur cuneti dilecti tui: erubescant autem, et confundantur quicumque tui inimici.

Sed te, iam nos, o pura et immaculata, eademque benedicta Virgo, magni Filii tui, universorumque Dei mater inculpata, integra, et sacrosanctissima, desperantium atque reorum spes, collaudamus. Tibi, ut gratia plenissimae benedicimus, quae Christum genuisti Deum et hominem: omnes tibi procidimus: omnes te invocamus, et auxilium tuum imploramus. Eripe nos, o Virgo saneta, atque intemerata, a quacumque necessitate ingruente, et a cunctis tenta-

OG III, 575

IACOBUS Bathnensis<sup>1</sup> Ep. († 521)

## CARMINA DE B. MARIA V.

AbJB  
205  
\*207

Carmen I. [...] *Virgo sancta* ad ipsam celebrandam me hodie 1480 invitat; \* intellectum nostrum, tam praeclaro argumento disponamus, ut a macula mundi simus.

Coelum alterum in cuius sinu habitavit Dominus excelsorum et ex quo ortus est ad pellendas ex orbe tenebras.

Benedictissima mulierum, per quam terrae maledictio eradicata fuit, aboleta inde ab ea sententia condemnatoria.

Casta, pudica, et sanctitate omnimode ornata, pro eius encomio praedicando plane deficit os meum.

Filia inopum, Domini regum mater effecta, quae mundo egenti divitias vivificas suppeditavit.

Navis thesauros et beatitudines e domo paterna afferens, suoque adventu regioni nostrae desolatae abundantiam praestans.

Ager bonus, absque semine frugum acerva producens et ex quo, quin fuerit exultus, fructus multiplicantur.

Heva altera vitam pariens inter mortales, quae chirographum Hevae matris suae laceravit atque dissolvit.

Puella vetulæ projectæ manum porrigens, ut a ruina, in quam detruserat eam serpens, ipsam erigeret.

Filia quae texuit stolam gloriae quam parenti suo, inter arbores ignominiose nudato, in vestem offerret.

Virgo prodigioso modo sine coniugio mater effecta; mater permanens integerrima virgo.

\*209

\* Palatum magnificum, aedificatum a rege, in quod intravit, in quo habitavit, quin coram eo, quando exivit, portae aperirentur.

Adolescentula veluti coelitum currus effecta, portans gestansque heroëm illum qui sustentat creaturas.

Sponsa concipiens quin unquam viderit sponsum et quae genuit infantem sine patre. [...]

Si quis *huius laudem aggredi* audeat, quoniam in ordine poterit ipsam depingere, aut cuinam coetui admiscebitur, in quo recenseatur? An virginum sanitarum, mansuetarum, mulierum maritatarum, genitricum aut matrum?

En signa virginalia et lac exhibet corpus huius gloriosissimae! Partus perfectus et sinus obsignatus! Et quis huius *laudi* sufficiat?

\*211

\* Dum ad coetum adolescentularum pertinere videtur, eam lactantem puerum sicuti matres aspicio. Audio Iosephum virum cum

<sup>1</sup> Iacobus Sarugi, vel Sarugensis, etiam dietus.

ea habitare, et simul animadverto ipsam commercio virili non fuisse subiectam.

1481 Dum eam choro virginum accensere quaero, vox mihi suclamat: quod eam partus dolores feriant. Si arbitror eam vocare maritatem propter Iosephum, iam persuasus sum ipsam a nemine mortali fuisse cognitam.

<sup>AbJB  
211</sup>

Cerno eam portantem filium ut genitrices, et apparet mihi stans in gradu virginum! Virgo est, et mater, et uxor viri sed non cognita; et quomodo ultra loquar si modo dicam eam esse incomprehensiblem?

\* Numquid gratia inclinavit Filium ad ipsam, an vero ipsa adeo placuit ut fieret mater Filii sancti? Deum ex gratia ad terram descendisse manifestum est; Maria autem, quia erat valde pura, suscepit eum. Ad eius humilitatem, mansuetudinem et puritatem respexit, et ideo in ea habitavit qui libenter in humilibus habitat.

<sup>\*213</sup>

Ad quosnam igitur oculos convertam nisi ad mansuetos et humiles? Ad eam respexit Deus et in ea habitavit quia erat inter mortales humillima; ipsa scilicet protestata est quod ad suam humilitatem respiciens in ea habitavit.

Propterea ergo paeconiiis celebranda est quae tantopere fuit accepta.

Humilitas est terminus perfectionis; quando quis Deum pae oculis habet, tunc sese humiliat. Etenim magnus Moyses erat omnium hominum humillimus, et ideo Deus ad ipsum in monte per visionem descendit. Spectata quoque fuit humilitas Abrahami qui, utut iustus, seipsum pulverem et cinerem vocabat. Humilis quoque erat Iohannes proclamans se indignum qui solvere calceos sponsi Domini sui. Humilitate placuerunt viri paeclari in cunctis \* generationibus; quippe ipsa est via magna qua quis accedat ad Deum.

<sup>\*215</sup>

Sicut Maria nemo umquam humilis exstitit, ut patet inde quod nemo ad instar illius fuerit exaltatus; pro ratione humilitatis largitur Dominus claritatem: matrem suam effecit eam; quis igitur ei similis in humilitate?

Si fuisset alia purior et mansuetior in illa habitasset, hanc vero reliquisset quin habitaret in ea; et si fuisset anima huius anima splendidior et sanctior, hanc utique elegisset et illam dimisisset.

Dominus noster descensurus in terram, ad cunctas mulieres respexit, et hanc unam sibi elegit, quia inter omnes pulchritudine eminebat.

Cum hanc scrutatus esset, in ea invenit humilitatem ac sanctitatem, affectusque puros et animam Dei amore accensam, cor mun-

dum, cunctas denique cogitationes perfectissimas. Propterea itaque elegit hanc purissimam et virtute omnimode ornatam.

E regione sua surrexit in gloriosissimam mulierum illapsurus, cuius socia, ipsi aequalis, non existebat in mundo.

Erat sola humilis, pura et sine macula, quandoquidem ipsa nec alia digna fuerit quae mater *Dei* efficeretur.

\*217 \* Eam exploravit ut probaret quam excellens esset et quantum immunis a malis; neque enim exurgit in ea motus ad concupiscentias inclinans, aut cogitatio excitans voluptatem, aut conversatio generans pravos saeculi dolos; non ardet in ea inanis mundi amor, neque puellarum operibus occupatur. Vedit igitur quod huic similis aut comparabilis in mundo non existeret, eamque in matrem assumpsit ut ex ipsa lac purissimum sugeret.

<sup>AbJB 217</sup> Discreta erat ac amore divino repleta; nam ubi abfuisset amor, 1482 Dominus noster nequaquam habitavisset.

Cum magnus rex ad regionem nostram procedere decrevisset, in templo totius orbis purissimo, prout ipsum decebat, divertit, in sinu nempe puro, virginitate et cogitationibus ipsa sanctitate plane dignis ornato.

Decore referta tam in natura quam in voluntate, nec minimum foedata desideriis dishonestis, ab ipsa sua infantia in rectitudine sine labo perstitit, et immaculata in via absque ullo delicto ambulavit.

Natura servata cum studio virtutum, signa virginalia in corpore et sanctimonia in anima eius perpetuo exstiterunt.

\*219 \* Ipsum opus in ea patratum me ad loquendum de formosissima illa et ineffabili ineitavit. Eo quod effecta est mater Filii Dei, perspexi et asserui ipsam solam in mundo esse mulierem omnibus puriorem.

Ex quo tempore bonum a malo discernere novit, in puritate cordis et rectis cogitationibus perstitit; non deflexit a iustitia legis, neque eam passiones viles et carnales commovere potuerunt.

Ab infantia sua exoriebantur in ea motus sanctitatis, quos prudenter sua diligentissime enutrivit. Dominus ante oculos eius positus erat omnibus diebus, ut ab eo illuminaretur et iucundaretur in ipso.

Porro quia huius animam adeo puram et nitidam esse videbat, in ea a malis omnino mundata habitare voluit; propterea quod similis illi mulier non comparuit umquam, ministratum in ea fuit opus admirabile, quod cunctis est maius.

Una filia hominum quaesita fuit inter feminas, et ideo electa quod ceteris omnibus multum praestaret.

\*220 Pater sanctus matrem Filio suo efficere voluerat, et \* eam, quam ipsi in matrem elegerat, minime deseruit.

Puella virtutibus internis undequaque repleta, cuius cor tanta

puritate excelluit ut meruerit videre mysteria quae in ea patrata fuerunt.

**1483** In eo virtus consistit, ut homo ex libertate bene agat, et non nisi per eius voluntatem virtutes perfectae splendescunt. Quantumque enim magna sit virtus, quatenus Dei donum, nequaquam encomiis afficitur, nisi libertas accedit. Sane pulcher est sol nec tamen a conscientibus laudatur, quia manifestum est Iucem ab eo non voluntarie praeberi. Ast qui virtute ornatur ex libertate, is virtutes possidet; propterea etiam laudatur, si tamen virtute ornetur. Et sane Deus ipse amat virtutem ex voluntate *protectam*, et in eo qui ipsi placet bonam voluntatem laudat.

AbJB  
221

Age vero, Virgo ista, cuius laus a nobis edicitur, per bonam suam voluntatem accepta facta est apud Deum et ab eo fuit electa.

Descendebat ille ut homo fieret ex filia hominis, et quia haec placita erat, electa fuit ut ex ea fieret *homo*; cum autem illius gratia cunctos mortales excedat, ideo Mariae virtus maxime celebranda est quod effecta sit ipsius mater.

Humilitate sua, puritate, rectitudine ac bona voluntate tantum inclaruit ut ab eo eligeretur.

\* Quod si altera prae illa accepta fuisset, hanc potius elegisset; neque enim Dominus accipit personas, cum sit iustus et rectus, si qua macula aut defectus in huius anima fuisset, aliam sibi matrem quaevisisset labore expertem.

\*223

Virtus ista quae cunetis virtutibus nitore suo adeo praecellit, pertinet ad eum qui ipsam possidet; quamobrem iustum est ut omnes admiratione gloriosissimam illam prosequantur, quae tantopere excelluit ut eam Deus in matrem eligeret.

Quantum natura virtutes admittit, tantum *virtutibus* ornata erat; non enim voluntatis eius erat ad tales mensuram pertigisse.

Adhuc virtutibus feminarum studuit: quod autem Deus oriretur ex ipsa, hoc non erat illius *merito tribuendum*.

Quousque accedere possint iusti ad Deum, praestantissima illa *mulier* per virtutem animae suae ad eum accessit; quod autem Christus ex ea natus fuerit corporaliter, gratia eius hoc fuit, et ipse inde laudandus quod nos tantopere dilexit.

Mariae excellentia ad eum usque gradum pertingit, ut ea maior non surrexerit in mundo universo; debitas ergo *gratias* abhinc et porro demus Domino, qui absque mensura gratiam suam super creaturas expandit.

\* Certum est Filium eum esse quem omnes mundi capere non possunt, Mariam vero eam qua inter natos non est maior.

\*225

Purificata fuerat sicut praeclari viri Iohannes et Iohannes *alter*,

Elias et Melchisedek. Ad hunc horum excelsorum gradum virtute ascendit, et tum Filio sancto in matrem fuit electa.

AbJB  
225

Ubi ad terminum usque excellentiae in anima sua accessisset, 1484  
tum demum in ipsa gratia sine termino habitavit. Cum vidisset Dominus eam omni sanetitatis decore esse repletam, in casto ipsius sinu sancte voluit habitare.

Itaque angelum ex coelestium legionibus ablegavit, qui beatae et praestantissimae virginis nuntium afferret. Surgens Gabriel, summus exercituum dux, descendit ad eam, sicut missus fuerat ab Altissimo; illa namque sola magno hoc mysterio digna erat, quae visione divina dignata fuerit.

In orationibus, in sinceritate et simplicitate Maria revelationem hanc spiritualem accepit; ipsa quippe sancta erat et stans mirabunda coram Deo, orando cor suum ante ipsum cum amore effundebat.

\*227

\* In oratione erat, sicut etiam Daniel versabatur in oratione, quando ad eum descendit igneus angelus. Sacerdotem Zachariam, dum stabat in sancto sanctorum orando coram Deo visitavit angelus. Et puella haec, magnae revelationis particeps effecta, in oratione versabatur quando angelum descendenter exceptit.

Oratio sincera cum Deo mystica colloquia habet, loquitur illi, sermonem audit ex eo atque innititur ipsi.

Descendit Angelus, dum Maria staret in oratione, atque pacem obtulit ei missam ab Altissimo: *Ave tibi, Maria, Dominus noster tecum, o beata! Benedicta tu et benedictus fructus virginitatis tuae.*

Haec autem cum audisset, prudenter cogitabat quaenam esset causa huiusmodi insuetae salutationis.

Dixit ei Angelus: *Noli turbari, o plena gratia! Dominus in te sese complacuit, ut fias mater eius in virginitate tua; ecce ex hoc nunc sancte foecundata concipies, et paries Regem cuius regni non erit finis.*

Respondit Maria: *Quomodo fiet id quod loqueris, quandoquidem virum non cognosco, et quomodo foecundabor? Filium mihi annuntias; sed ego commercium virile non cognosco; partum audio, at non appetet mihi viri societas.*

\*229

\* Mirabilis fuit hora illa, qua Maria stabat cum Gabriele colloquens. Hinc humilis filia inopum, illinc angelus sibi mutuo obviaverunt, et rem enarrarunt prorsus admirabilem.

Virgo pura et angelus igneus mirabiliter pacis tractatum terribolas inter ac coelites ineunt. Hinc una inter mulieres, illinc exercituum dux foedus de reconciliatione totius mundi pepigerunt.

Inter superos et inferos duo sedebant: locuti sunt, auscultarunt, et irae obnoxios reconciliatos effecerunt. Puella et angelus sibi mu-

1485

AbJB  
229

tuo obviaverunt et negotium versant donec aboleverint contentio-  
nem Domini et Adami. Perturbator magnus qui hunc corruere fe-  
cerat inter arbores iam ipse conculcatur et omnino devincitur, fac-  
taque est reconciliatio.

Terrestris et coelicola sese cum amore alloquuntur, cessavitque  
contentio duarum partium inter se conciliatarum. Permutatum fuit  
tempus malum quod occidit Adam et venit aliud tempus bonum,  
quo resurrectio fieret.

Loco serpentis *antiqui* surrexit Gabriel ad loquendum, et pro Heva  
ingressa est Maria sermonem excipiens. Pro mendace qui obiecta  
tentatione mortem induxit, verax surrexit ut allato nuntio vitam  
praedicaret; et pro matre quae subscribendo debitum contraxit inter  
arbores, filia omnia Adami patris sui debita solvit.

\* Heva et serpens per Angelum et Mariam excepti fuerunt, et in \*231  
integrum restituta est res illa quae implicata fuerat ab initio.

Aspice quomodo inclinata sit Hevae auris et attenta voici dolosi  
istius, mendacium ipsi insusurrantis; age, porro, laetare quod an-  
gelus Mariae infundat vitam in aurem, serpentis ab ea transferat  
reptationem, eamque consoletur.

Aedificium illud, quod subverterat serpens, reaedificavit Gabriel,  
et restituit Maria structuras quas Heva in Eden diruerat.

Duae virgines quae nuncium acceperunt a legatis; duo qui missi  
fuerunt unus post alterum ad duas generationes. Satanus per ser-  
pentem misit secretum ad Hevam et misit Dominus per angelum  
nuntium ad Mariam.

Gabriel in aure Mariae propter Hevam dissolvit contra nequam  
serpentis sermonem, et, re in integrum restituta, verbis suis pravum  
colloquium destruxit. Veritas locuta est et siluit omne mendacium.

Virgo fuerat a rebelli decepta in Eden eiusque auris effecta erat  
fistula deceptoris magno; sed pro ea virgine, alia fuit electa, cui ve-  
ritas ab Altissimo praedicaretur in aure. Eadem porta, qua ingressa  
erat mors, intravit vita, et solutum est vinculum quod nequam  
olim confecerat.

\* Ubi ab initio peccatum et mors multiplicati fuerunt, abundavit \*233  
etiam gratia ut vivificaret Adamum.

Serpens, Hevae loquendo, ei non obtulit pacem, neque enim  
pax esse poterat in mortifero eius consilio.

Fraudulentus cecinit ei mendacium, inspiravit iniquitatem ef-  
fuditque consilia perversa et colloquium fallax. Inimicitiam, myste-  
rium necis et furorem sanguinis Adamitis, prolato suo sermone, in  
promptu exhibuit.

Mariae nuncium vitae divinitus attulit; obtulit ei pacem, vitam in ipsa seminavit, reconciliationem annuntiavit, eique cum amore obviando cuneta priora abolevit.

Murum iniquitatis quam olim aedificaverat serpens, Filius Dei per descensum suum evertit, ut iterum non restituatur; parietem quae posita erat inter partes aperuit, quando processit ad pacem terricolas inter et coelites constituendam.

Quapropter pacem Mariae adprecatus angelus, veluti arrhabonem magnae totius mundi reconciliationis: «Pax tibi, Maria, inquit, Dominus noster tecum; foetum concipies et paries filium in virginitate tua».

\*235 Cui illa respondit: «Quomodo fiet sicut tu dicens, cum \* ego sim virgo, nec fructus sit virginibus?»

Tunc utique interrogationibus maxime opus erat, ut sibi generatio Filii in ipsa habitaturi affulgeret; interrogavit Maria ut nos de hoc conceptu, cuius historia explicationem transcendit, ab angelo edoceremur.

En quantum Maria contemplantibus eam virtutibus excellens appareat, et quantum dotes eius sint discretis amabiles! Nempe quod interrogavit ut ab Angelo de conceptu suo certior fieret, id suum erat *meritum*, et auditoribus proficuum cessit.

Non interrogaverat Heva serpentem, quando hic eam decepit, sed voluntarie tacens assensit mendacio. Puella haec veritatem audiuit a verace, at non prius quam ipsum de rei expositione multum sciscitata fuisset.

Illa se per arborem deam factam iri audiens, minime dixerat: «Quomodo istud quod tu dicens efficietur?» Haec vero cum ei angelus dixisset ipsam Filium Dei concepturam, prius ei non assensit quam didicisset veritatem.

Ipsam per se ascensuram ad gradum divinitatis minime mendacio vertendum suspicata est virgo Adami; ea vero quae paritura erat Filium Dei, cum ipsi sermo fieret, scrutatur, inquirit, edocetur, et tunc demum tacuit.

\*237 Videsne nunc quantum haec sit illa virtute praestantior? \* Igitur propter praestantiam suam elegit eam Dominus, ac matrem suam effecit. Facile erat silere et facile interrogare; itaque propriae discretionis suaee causa edocta est ab angelo veritatem.

Quantum in hac re reprehensibilis fuit Heva, tantum Maria exstitit praeclara, et sicut illius stultitia, ita et huius sapientia apparuit. Quantum prior in hoc negotio fuit contemptibilis, tantum inclaruit altera in re Filii; quantum illa stulta, tantum sapiens haec recogitanti!

Quaecumque debita erga Deum illa contraxit, haec ista persolvit. Per illam ruina, per hanc resurrectio universo generi nostro; peccatum per Hevam, ex Maria vero iustitia! Per silentium Hevae reatus et nomen infame; per Mariae sermonem vita et lux cum victoria!

1487 Angelo respondit: « Quomodo fiet id quod dicens? » Tuncque ille orsus est explicare viam Regis huiusque ad ipsam descensum: *Spiritus sanctus superveniet ad te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*,<sup>1</sup> o beatissima.

ABJB  
237

Hic rei magnitudo sermonem excedit, et nonnisi cum fidei admiratione loquendum est; affectus solito sublimiores requirit argumentum; et ideo amor flagrans de ea sine contentione loquatur!

Vitae *aeternae* negotium in verbo angeli versabatur: \* porro quare \*239 necesse erat ut veniret Spiritus sanctus ante Unigenitum? Primum Spiritus, et deinde Virtus in purissima virgine habitavit, quemadmodum dixerat: « Spiritus superveniet et Virtus obumbrabit ».

Virtus Altissimi est ipse Filius Altissimi, qui in eam illapsus est, ut veniret ad partum corporeum. Ipse Christus est virtus Patris, sicut scriptum est; sed ante eum Spiritus sanctus venit ad Mariam. Sic itaque annuntiavit ei angelus, veniens ex domo Patris, nempe Spiritum superventurum et deinde illapsuram Virtutem Altissimi.

Spiritus sanctus venit ad Mariam ut ex ea solveret sententiam primam Hevae et Adami. Ipsam sanctificavit, purificavit, benedictam inter mulieres effecit, atque a maledictione et doloribus Hevae matris suaee liberavit.

Vocata fuerat ad eam dignitatem ut mater Filii Dei fieret; eam proinde sanctificavit Spiritus sanctus, et tunc ille in eam illapsus est; Spiritus eam a reatu liberavit ut, cum ille in ea sancte habitaret, foret supra delictum.

Matrem suam per Spiritum sanctum purificavit qui habitaturus in ea, ex ipsa corpus purum erat assumpturus sine peccato. Ut ne contaminatum foret corpus quod ψυχικός (*anima informatum*) induit, per Spiritum sanctum virginem mundavit et tunc illapsus est in eam.

\* Volebat Filius Dei ex ea nobiscum assumere cognationem; ast \*241 prius corpus eius expers peccati per Spiritum sanctum constituit.

Verbum descendebat ut caro fieret, et propterea eam ex qua caro factum est per Spiritum purificavit; descendebat ut nobis similis foret in omnibus, excepto quod sine peccato futurum esset sanctum ipsius corporis.

Deus voluit fieri homini similis, et unam hanc virginem, purificatam per Spiritum, sibi in matrem effecit, ut ipse mundo foret

<sup>1</sup> Le I, 35.

Adam alter ex Deo, manumque porrigeret priori quem deiecerat serpens, utque ingressus ad proferendum iudicium contra principem mundi, is in eo non reperiret peccatum quod morti accessum aperiret.

AbJB  
241

1488

Porro Filius hominis, quamquam sententiae minime subiacens, Deus cum esset, ex filia hominis in mundum exivit; quamobrem sanctissimam illam inter illustres et beatissimam virginem puritate nitentem per Spiritum sanctificavit, eamque puram effecit, mundam et benedictam, sicut erat ipsa Heva antequam eam serpens esset allocutus; nempe tribuit illi pulchritudinem priorem, qualis matri eius competebat, cum necedum ex arbore mortifera manducasset.

Itaque Spiritus superveniens illam effecit sicut Hevam priorem, quum haec consilio serpentis eiusque verbo odioso assensum nondum praebuerat; in eo illam gradu constituit in quo antequam peccaverant Adam et Heva reponebantur, et tunc in eam illapsus est.

\*243

\* Adoptionem filiorum, quae patri nostro Adamo fuerat concessa, Mariae per Spiritum sanctum tribuit, cum esset in ea habitaturus.

Quemadmodum genuerat pater noster matrem nostram sine coniugio, ita genuit quoque illa effecta sicut Adam ante peccatum; ipsa etiam ut filium pareret, accepit Spiritum sanctum qui spiraverat in faciem Adami, ut Hevam generaret.

Puritate ea, quae Adamo competebat, Maria quoque potita est per Spiritum supervenientem, atque ipsa sine motu concupiscentiae peperit.

Adam sine opere coniugali matrem vitae genuit, sique praefiguravit ipsum vitae fontem, Dominum nostrum; scilicet Deus praescivit et praesignavit eos, Hevam *nempe* et Adamum, in typos Filii sui unigeniti. Hevam virginem sancte genuit Adam, eamque appellavit nomine matris vitae, ita typice significans ex Maria per partum alterum mundo vitam esse orituram, illamque etiam in virginitate sua Filium Dei paritum.

Prophetia Adami typice notabatur Dominus noster; ipse enim est vita et mater eius est virgo Maria. Hevae imposuit nomen matris cunctorum viventium, atque prophetice significavit *Mariam* nobis paritum esse vitam, Dominum nostrum qui est Iesus.

Pertigit Maria ad hunc partum purissimum quia Spiritus eam sanctificaverat, ut in ipsam Filius Dei illaberetur; corpus eius sanctificavit eamque prava concupiscentia fecit expertem, sicut erat Heva virgo antequam concupiscentiae foret obnoxia.

\*245

\* Peccatum, quod ad Adamum ingressum erat per concupiscentiae motus, ex ea eiecit Spiritus sanctus superveniens in eam; illud additamentum quod effecerat serpens, et inclinationem pravam in ea prorsus abolevit, eamque replevit sanctitate et innocentia.

Novam eam effecit, vidensque Dominus eam esse valde decoram, sicut priorem, in ipsam illapsus et in ea incarnatus est. Propterea dixerat angelus antequam Verbum ad Mariam descenderet, in ea habitaturus: « Spiritus superveniet ».

**1489** Benedicta Maria, per cuius ad Gabrielem interrogationem mundus didicit abseconditum illud mysterium! Nisi enim ipsa cum interrogasset: « quomodo fiet? » tunc neque nos explicationem nativitatis Filii reseciremus; ipsi debetur huius nativitatis decorum fuisse revealatum, et ipsa exstitit causa quod ei per angelum affulgeret.

AbJB  
245

Os Ecclesiae fuit sapiens virgo hac sua interrogatione atque in persona totius creationis istam explicationem didicit. Nisi enim Maria habuisset affectus sublimes, haud potuisset admitti ad loquendum coram Angelo; nisi virtute omnigena ornata fuisse, nequam potuisset mutuo sermone cum Gabriele conversari.

Ipsa igitur proprio suo merito usque ad eam mensuram ascendit, donec Spiritus cuncta perficiens superveniret in \* eam; ex Deo fuit repleta gratiae immensitate, ac in eius sinu habitavit Unigenitus ut cuncta renovaret.

\*247

Maria apparuit nobis tanquam epistola obsigillata, in qua mysteria et arcana Filii continebantur. Corpus suum purum tanquam chartam mundam ipsa exhibuit, super quam conscripsit Verbum essentiam suam corporaliter.

Filius erat Verbum, ipsa vero epistola, ut diximus, per quam condonatio missa fuit universo mundo.

Epistola erat, non talis quae obsignaretur postquam esset conscripta, sed quam primum obsignarunt et deinde conscripserunt *ipsae personae* divinae. Obsignata fuit et conscripta, imo et lecta quin frangeretur, quia mysteria solito altiora Pater per eam revealabat.

Verbum ingressum est intra sigilla servata et in eam illapsum; virginalia signa in corpore et foetus in utero illo mirabili!

Hac *epistola* felicissima nuntia misit nobis Pater; per hanc remissio cunctis debitibus advenit.

Per hanc Adamo mancipato missa fuit libertas; ipse heres effectus inter filios rediit sicut fuerat prius.

Per hanc reconciliationem inierunt superi cum inferis, \* et in alta pace constitutae sunt partes adhuc irae obnoxiae, et transiit opprobrium quod cunctis feminis a generationibus adhaerebat.

\*249

Per hanc aperta fuit occlusa via Edenis, aufugit serpens et reversi sunt homines ad Deum.

Per hanc cherub retraxit gladium suum, ut ne iterum custodiret arborem vitae, quae seipsam iam obtulit in gratiam manducantium.

Haec dedit nobis fructum dulem, vivificum, ut ex eo edamus et in perpetuum cum Deo vivamus.

Ex hac ortus est nobis magnus iustitiae sol et magnifica lux te nebras pellens ex orbe.

In hac sibi complacuit Pater, ut fieret mater Unigeniti sui, ideoque beatissima fuit inter mortales.

AbJB  
249

« Mihi igitur beatitudinem adscribent omnes generationes! », 1490 exclamavit Maria, animo *coeli* lumine *perfuso*, propter fructum suum. Videbat quippe ad quantum ipsa gradum ascendisset, mundumque eius beatitudinem proclamantem cum ingenti admiratione. Praevidit futura eaque elocuta est, nempe populos terrae proclamaturos beatam ipsius virginitatem. Per Spiritum rescivit Filium suum esse regem omnium populorum, ac veluti tributum beatitudinis praedicationem a linguis exegit.

Itaque et nos Beatae huius beatitudinem praedicemus, cuius beatitudo omnia totius mundi ora transcendit!

\*251

\* Beata quae accepit Spiritum sanctum, qui eam purificavit, ornavit et effecit templum in cuius mansione habitavit Dominus excelsorum!

Beata quam singularis decor virginitatis suae extulit, et cuius nomen in saecula splendidissime fulget!

Beata cuius ope renovata fuit Adami familia et per quam erecti sunt lapsi, e domo Patris praecipitati!

Beata cuius excellentia coniugium maritatarum transcendit, dum interim confidenter gaudeat puerō carissimo, sicuti matres!

Beata cuius corpus a concupiscentia maculatum non fuit unquam, sed quae nobilitata fuit formoso virginitatis suae fructu!

Beata, in cuius utero parvo et exiguo habitavit Magnus ille, quo impletur excelsa, quin illum capere possint!

Beata quae peperit Antiquum illum qui genuit Adamum, et per quam renovatae sunt cunctae creaturae, antiquatae cum essent!

Beata quae ex membris suis guttas lactis praebuit illi, ad cuius nutum fluctus maris magni exundant!

Beata quae gestavit, amplexibus et blanditiis affecit, dum puer esset, Heroēm illum saeculorum, qui terram occulta sua potentia sustentat!

Beata ex qua exulibus exortus est Redemptor, qui draconem ligavit in furore suo, terramque placavit!

Beata quae os suum purissimum apposuit ad labia illius, a cuius ardore seraphim igniti velant faciem suam!

\*253

\* Beata quae lacte suo purissimo aluit ut puerum Mammam illum magnam ex qua mundi vitam sugent!

Beata, cuius filius tribuit beatis omnibus beatitudinem!

Benedictus qui ex illius puritate nobis sancto modo exortus est!

**1491** Carmen II. [...] Carmen laudis amori edicendum proponitur, sed quin scrutetur aut curiose inquirat Unigenitum. Admirari quaerit amor in filio, non vero scrutari; adorare novit, investigationem autem non facile praesumit.

AbJB  
261

Habitavit in virgine Admirabilis ille plane investigabilis, obstrepueruntque sapientes ut viam eius controversiis investigarent; exiuit ex utero, relinquens signacula in statu virginali, et oborti sunt sermones plane scandalosi de eius nativitate.

Virgo peperit, auxeruntque doctores inquinamenta sua quibus rem irrideant, quae non nisi cum admiratione edici potest.

Dominus noster ingressus est viam quae excedit inquisitores; et quia cum inquirunt, ecce versantur in delirio erroris.

Maria calumniis afficitur a longinquis et a propinquuis, vapulante ipsius laus tum a iudeis, tum a gentilibus. De ea falluntur exteri et familiares, ac de ea loquuntur amici et osores, iuxta suam quisque libidinem.

\* Iudei enim calumniose dicunt eius filium non esse ex Patre, neque ipsam concepisse aut peperisse in virginitate sua; blasphemantes affirmant eam ex coniugio concepisse filium, et filium qui habitavit in ea non esse virtutem Patris absconditam.

\*263

Gentilis, remotissimus cum sit, neque quod genuerit, neque quod sit, neque quod filium habeat illa benedicta, novit.

Alius insensatus, qui neque iudeus est neque gentilis, corpus filii non esse ex ipsa mentitur.

Impius quidam dicit eam non peperisse Deum; Christum vero quatenus Christum haud esse Deum.

Porro inter ista dieteria, sermones et haereses, quae prolata fuere, sunt etiam qui eam calumnia hac afficiunt quod virgo non permanserit; signa virginalia per partum, ut aiunt, auferunt ab ipsa, ut inde ab eius partu haud amplius virgo potuerit vocari; ipsi in partu suo fuisse sigillum conservatum confiteri recusant, ast contra per partum illud, virginitatem *nempe*, perdidisse asserunt.

Quid inter huiusmodi spiritus scandalosos et dissidentes aget simplex veritatis confessor?

Exurge, o doctrina, et sine haesitatione praedica veritatem, eamque palam proclama, quippe quae cuneta dissidia superet.

Increpa iudeos, corripe gentiles, coniunge divisos, reprehende contentiones, et scandala ab arrogantibus expelle.

\* Cohibe sapientes ab illo utero investigabili, ut ne delirent per suas scrutationes in eius partum. Apage doctores a sinu beatissi-

\*265

mae, ne ipsi curiose in eam inquirentes cum contentione de ea loquantur.

Condemna loquaces, scrutatores vero lucrifacias eosque sistere facias coram Admirabili cum ingenti admiratione.

Fructus quem peperit virgo plena prodigo vocatur Admirabilis. Veni, o sapiens, admirare quin inquiras; accedas, o scrutator, et sumas tibi stuporem a filia Davidis, neque amplius praesumas illud investigare cui plane impar es.

O doctor loquax, inspice rem captum tuum excedentem; silentium tibi imponas, noli te controversiis agitare.

O discipuli, amore et fide repleti, vobis ego loquor; auscultate me cum discretione! Mariae dignitas a sapientibus exponi nequit, neque rhetores discursuum suorum artificio eam valent enarrare. At amor huius laudem edicere potest cum simplicitate quae controversia altior et purior est.

AbJB  
265

1492

Nunc igitur aurem praebeamus amori qui sese ad loquendum accingit, quin curiose inquirat in matrem virginem prodigo repletam.

Confutatur iudeus ab Isaia concivi suo, quia ille praedicavit virginem esse sine coniugio paritaram.

\*267

\* Discat gentilis a finibus et extremitatibus terrae, quod ubicumque iverit, ibi de filio Virginis sermo instituatur.

Contra alium qui calumniouse asserit eam non mirabiliter Deum peperisse, Ecclesia extollit vocem suam anathemate *cavens* ne intret ad ipsam; insipientem vero, qui effutit corpus Filii non esse ex ea, una cum eius doctrina odit, refugitque ab eo.

Hodie vero de eo, qui dicit solvisse Filium, cum nasceretur, virginalia matris, ab Ecclesia sermo est instituendus.

Hodie igitur omnes isti scandalis suis silentium imponant, et hic solus rem aggrediatur, ut etiam ipse confundatur; illum, *inguam*, qui Mariam calumniatur quasi post partum haud permanserit in virginitate sua, amor sine disceptatione redarguat.

Taceant omnino omnes dubitationes iam condemnatae, et de uno solummodo hodie sermo vocem suam extollat.

Inducat porro ille verba sua et manifestet nobis quid doceat; at, quando loquutus fuerit ipse, audiat a nobis veritatem.

« Videlicet, *ita iste loquitur*, Maria post conceptionem in virginitate sua permanxit, quia nullum commercium, solvens virginalia signa, ad puram hanc *virginem* accessit; quando autem peperit, quia peperit eum corporaliter, puer eius in egressu virginalia solvit, quandoquidem vere corpus acceperat; scilicet qui dicit eum in egressu suo virginalia haud solvisse, ille eo ipso perverse sentit de Filio, quasi

non acceperit corpus ex filia Davidis; qui vero profitetur naturam eius corporalem esse ex Maria, \* ille intelligit eum non egressum fuisse illaesa matris virginitate. Adveniente infante illo per egressum suum ad corporalem generationem, non potuit exeundo intacta relinquere virginalia signa. Qui fatetur ipsi fuisse corpus, et sensum et sanguinem, affirmet et illud, eum matris suaे solvisse virginalia; qui vero dicit eam in virginitate permansisse perenniter, cum hoc simul asserat a Filio Dei corpus non fuisse assumptum ».

\*269

Haec quidem insipiens de hac beatissima docet. Iam amor sententiam suam dilueide eloquatur.

Si ita est, ut tu dicis, o arrogans, neque puer, quem genuit Maria est Admirabilis. Si tu per tuam sapientiam rem prorsus explicaveris, aufertur ab ea omne prodigium et cuncta erunt aperta.

Nisi tandem subsit aliquid magni quod te lateat, tu Filium eiusque nativitatem pervestigaveris, et valde magnus fueris ipse: et si ita est, in Admirabilem evaseris tu, atque nomen, quod Filio imposuit Isaias, tuum fuerit!

Penes te stat omne prodigium, quatenus ei sufficias tu, qui viam Filii comprehendere valuisses. Transiit prodigium a nativitate filii Dei, tu vero illud tibi rapuisti, et iam non nisi te quis admirabitur.

Tu Admirabilis es et in te est admirandi *ratio*, si tamen verum sit quod potueris viam perscrutari, quae est scrutatoribus excelsior.

Duos admirabiles nuspian me docet Scriptura; et si non sit credendum te esse admirabilem, o doctor superbe, \* tribuas illud tanquam proprium Unigenito; desistens ab inquirendo potius ob eius ortum accendaris amore, eumque admirare.

\*271

Tribuas illi *proprium* eius miraculum, quia nisi ipsi competit, miraculum plane non erit; tibique sumas silentium, quandoquidem brevior est sermo tuus quam ut ad eum pertingat.

Virgo concepit eum, et virgo adhuc erat postquam eum peperisset: quapropter nomen eius est Admirabilis, quod explicari nequit.

Inter dolores geniticum et infantium, servat illi virginalia sua, sicut audis tu qui *illud adhuc* ignorabas.

Si modo in anima tua fuisset admiratio fidei, haec te admiratio a dubiis servasset immunem. Si comprehendisses, quare Isaias vocaverit eum Admirabilem, admiratus fuisses potius quam scrutatus Unigenitum. Virginibus signis *insignitum* et lacte plenum erat corpus beatissimae, et propterea filius eius Admirabilis est scientibus illum.

Si admirabilis est ipse, utique te valde excedit viae eius nobilitas; si vero explicare posses quomodo sit genitus, nequaquam foret Admirabilis.

Tum in conceptu, tum in partu mater eius permanet virgo, ac ideo convenit ipsi nomen quo eo omnes appellarent totum Admirabilem. Claustra virginalia reperiit, quum apud illam gloriosissimam esset diversurus; eiusque uterum, quemadmodum obsignatum reperiit, ita reliquit.

Divitiis cumulata fuit filia inopum, ex quo tempore ille in ea habitavit; tantum abest ut pauperiorem aut quopiam deteriorem eam effecerit filius ditissimus.

\*273 Nova pulchritudine ornata fuit formosissima mulierum, \* quae peperit Solem; tantum abest ut corruperit aut deformaverit virginitatis suae nitorem; *imo* si virgo non fuisset, sed tamen in ea habittasset filius Creatoris, hunc decuisset ipsam exeundo virginem *effectam* relinquere; itaque, cum virgo esset quando eum suscepit, nitorem minime laedere potuit illius uteri qui eum sancte gestavit.

Quamnam ancillae mercedem acceptura erat quae Dominum suum educavit? Aserat iste iniquus quod huius causa virginitatem suam amiserit; at contra accepit abundantissime pulchritudinem, beatitudinem, sanctitatem, *imo* virginitatem quam neque per nativitatem suam minimum laesit Admirabilis.

Lux habitavit in ea quae mundissimo splendore constanter effulserat, ut esset virgo perpetua et mater incomprehensibilis.

In prophetia, mari mysteriorum et revelationum, figurabatur typus, mysteria illa et virginitatem eius plenissime referens.

Veni, o Ezechiel, vir qui inter revelationes adolevisti, doctor qui te audientes veritatem edoces, propheta vexatissime, quem usurunt visiones divinae, in rebus arcanis divinitus conversate, gloriosissime, qui audisti vocem rotarum rationalium, ac sonitus alarum, currusque motus ingentes; anima decora, quae conspexisti mutationes Cherubim, ora que ignita benedicentium Altissimum in loco suo, veni, o fili Buzi, afferasque prophetiae tuae volumen! Taceant omnes, tu autem surgas ad veritatem praedicandam.

Si vidisti tu virginem Mariam in visionibus tuis, eius mihi effigiem exhibeas, ut decorem illius contemplentur universae creaturae.

\*275 \* Si in prophetia tua matris Domini tui historia reperiatur, surgas, eamque utpote auditoribus acceptissimam exponas.

Sunt qui dicunt eam post partum suum haud amplius esse virginem: explices tu nobis utrum perdiderit suam virginitatem. Tibi, o Ezechiel, hodie loquendi obtigit sors; loquaris de Maria, ab eaque scrutinationem cohubeas!

Audiamus nunc quid dictum fuerit in prophetia de ista matre prodigiosa plane inscrutabili.

Propheta igitur in sua prophetia ita dixit: *Ostendit mihi Domi-*

*nus portam sanctuarii, quam vidi clausam, dixitque Dominus: Porta haec clausa erit, neque aperietur, neque intrabit quis aut exibit per eam; quia Dominus ipse intrabit per eam, erit clausa.<sup>1</sup>*

Propheta Spiritus, manifesta nobis atque exponas quid sibi velit iste sermo tuus.

Virgo Maria in prophetia est porta clausa, per quam Dominus Christus intravit in mundum quamque clausam reliquit. Quando Deus per portam ingreditur, eam non aperit, ut nobiscum contestatur Ezechiel filius hebraeorum.

Per portam nativitatis ingressus est Deus in mundum, quia ipse voluit, sed hanc ipsam portam in virginitate clausam, reliquit.

Sanctuarium illud cuius portam propheta videt esse clausam, virginem nobis repraesentavit; igitur virginitas illaesa permansit.

Sanctitas Christus est, et sanctuarium Maria; porta vero clausa sunt signa virginalia in ipsa conservata.

\* Quod si revera non ita est, ut ego dico, quamnam tandem portam vidisset propheta, et quare clausa *fuisse*? \*<sup>277</sup>

Viderat portam, quia per portam hominum, *nascendo ex muliere sicuti homines ceteri*, erat ingressurus; viditque eam esse clausam, quia claustra virginalia non solvit ut egredetur.

Filius Dei per portam omnibus nascentibus communem ad mundum intravit per suam nativitatem; sed ingrediens ostia minime aperuit; porro matrem suam virginem praesignavit per portam clausam, atque Ezechielii dilucide ostendit hanc esse clausam.

Vera sane est illa res, et sicut portam illam quam nemo aperuit, ita Mariae sigillum sub custodia posuit.

Porta clausa uter virginalis nobis intelligendus est; quia porta clausa est, ideo signatus est iter virginitatis, nempe: « non aperietur porta haec, dixit Dominus », *idem est* ac si quis diceret: « nemo solvet claustra haec virginalia ».

Verbum Domini obsignavit uterum Beatissimae, quia ne in sua quidem nativitate exeundo solvit ipsius virginalia.

Deus erat qui ingressus est per ostium virginitatis, et quia Deus erat, reliquit sigilla obsignata, ad instar portae illius quam vidit propheta, et de qua vocem audivit hanc: « Quia Deus per eam ipse intrabit, erit clausa. ».

Itaque constat eum qui confitetur Deum hunc esse quem peperit Maria, confiteri quoque debere hanc in virginitate sua permanisse; qui autem in dubium revocat eius filium esse Deum, illud quoque *dubio suo* admiscet, eum exeundo claustra virginalia solvisse.

<sup>1</sup> Ezech. XLIV, 1 seqq.

\*279 \* Hic iam sermo finem suum accipiat absque disceptatione, et sane ex genito tibi facile erit de eius genitrice stabilire *sententiam*: si eum agnoscas ut Deum, uti Deus est, facile perspicies uterum esse in virginali statu custoditum; contra, si dubitatio, velut uleus occultum, in anima tua exorta est, difficulter tibi persuaseris virginitatem intactam permansisse.

Nam *quod attinet* portam eam, quam propheta in illa revelatione vidit, audivit Deum per eam esse ingressurum, eamque vidiit esse clausam, illud sane ita est explicandum ut, quando Deus esset per eam ingressurus, eam minime aperiret ut deinde per eam ingredetur, veluti debilis quidam; utique si aliis qui non sit Deus ingredetur per eam, necessarium foret ut aperiretur, ita ut, nisi aperiretur, iste non valeret intrare; ast quia porta haec Domino servabatur ut ipse per eam intraret, *ideo* clausit eam atque obsigillavit, manifestavitque se eam non aperturum omnino.

Similiter etiam Maria cum virginitate inviolata custodita fuit in partu, quia prodigioso plane modo ipsa peperit Deum. Si hominem, qui Deus non esset, peperisset Maria, claustra virginalia soluta fuissent, cum homo claustra servare non potuisset.

Duo sunt haec, sed unum cum altero connexa sunt; et qui haesitat ex his alterum admittere, ad alterum admittendum sese minime subiicit.

Quando non confitetur quis quod Deum genuerit Maria, quomodo eius virginitatem illibatam permansisse confiteatur? Si autem credit Dominum quem genuit *Maria* esse Unigenitum, nequamquam dubitabit conservatam fuisse virginitatis eius signaculum [...]

\*283 \* [...] Abditus est in essentia sua, sed manifestantur virtutes suaे fortitudinis, et oportet ut ex manifestis eius etiam occulta credamus. Initio viae non orsus est sine prodigo, in *ipsa* conceptione inchoavit, et novum signum patravit quando exivit.

Mariam in primis ob seipsum admiratione replevit, ut haec primum admiraretur Admirabilem; revelata fuit illi via multis abscondita.

Abscondita erant claustra virginalia, et ipsa obstupuit de opere inaudito. Digna fuit ipsa quae videret prodigium cunctis absconditum, quia digna erat ut fieret mater absconditi ab omnibus. In seipsa vidiit se esse virginem \* simul et matrem; claustra virginalia cum partu mirabunda in seipsa consideravit.

Filius Virginis in ipso viae suaē initio matrem suam stupore affecit, deinceps vero etiam ceteros admiratione replevit per prodiga quae patravit.

Fides igitur, cui etiam occulta manifesta sunt, initium viae eius mirabunda intuetur absque haesitatione; nempe fides, quia novit quis sit ille et cuius filius, cum admiratione tam occulta eius quam manifesta considerat.

Heros, qui terram devastatam restitutum venerat, minime orsus est a corrumpendo propriae matris virginitatem; ille qui mortuis resurrectionem erat largitus ut eos renovaret, non potuit veterem efficere matrem novam quam sibi paraverat.

Virginem servavit eam, sicut ipse servatus est in divinitate; et effecta est mater, sicut ipse in nativitate sua factus est homo.

Ille Deus est, quia factus est homo absque mutatione, et mater eius virgo est, quia facta est mater sine laesione.

Christus in nativitate sua Deus est et homo, quemadmodum puella haec virgo simul ac mater vere existit.

Non duos peperit illa, neque fas est ipsam in duas dividere; una unum peperit divinitus simul et humanitus.

Deus nullatenus homini similis est in sua nativitate, neque etiam virgo illa similis matribus consideranti ipsam appetet; sed quia induit corpus nostrum nobis similis effectus est atque inter nos conversatus, genitricem vero suam sibi matrem efficit quin virginitatis iacturam pateretur.

\* Similis est Maria tum matribus, tum virginibus, et similis est Natus eius et Deo et hominibus.

Forma Patris formam servi in utero assumpsit, ut Deus simul et homo mirabiliter foret; ita heros ille, Patri suo similis, similis factus est nobis in cunctis hominum passionibus, excepta iniquitate; constituta quoque est mater eius cunctis genitricum doloribus subiecta, excepto quod ipsius claustrum virginale filius exeundo non solverit.

Sane decebat ipsam ita in sua virginitate permanere, ut certior redderetur quisnam esset pater unigeniti sui.

In ipsius sinu purissimo habitavit Admirabilis, cum nobis exoriretur; quod si exeundo signa virginalia violasset, non foret Admirabilis.

Per portam clausam ingressurus erat in mundum, sicut scriptum est; si igitur eam aperuisset, neque Dominus fuisse, neque Deus; ast quia veniendo ad nativitatem servavit virginitatis sigilla, unusquisque confitetur Iesum et Dominum esse et Admirabilem.

Laetetur propheta *Ezechiel* ob matrem quae in virginitate sua permansit, nobisque declareret hic eam ipsam portam esse, quam vidit esse clausam; per eam Christus intravit, dum Pater eum ad invisendum hunc mundum ablegavit, neque ipsi convenire poterat porta aperta, quandoquidem Deus erat.

Utique universorum restaurator non venit ut naturam corrumperet; ad restituendum quod corruptum erat miserat eum Pater; Hevam collapsam in virginitate sua restituere advenerat, nequaquam vero virginem laesit, quam sibi in matrem assumpsit.

\*289 \* Quid itaque faciam insipienti qui ob verba mea irascitur et qui perversitate ac malitia praepeditus me loquentem *renuit* auscultare?

Vox tonitrui in aure surdi est altum silentium, neque si cantent omnes creaturae ipse quidquam audiet. Oculus caeci, quantumcunque ei solium myriades orirentur, nocti assuetus est nec ei convenit dies. Ita animae scandalis et dubii anxietate refertae frustra loquatur veritas, qua illa minime delectatur.

Ad te ergo, o dubitans, ad te, *inquam*, non sum locutus neque nunc loquor; si ita placet, audire renuas; porro ei loquor ego qui me auscultat; si te non delectat vinum verbi mei, illud ne bibas tu! In promptu sunt turbae qui illud avide desiderant; neque enim pro mercede aliqua laboravi tecum aut nunc operam adhibeo, neque gloriam ex te intendi aut nunc quaero.

Ex dono Domini tui super mensam apposui; si tibi placuerit, *de eo* nobiscum degustes; sin aliter, transeas.

Non meretur voluntas mea reprehensionem, cum tui dilectione moveatur; vocavi te ut commodum reportares; si vero vacuus adhuc existis, hoc tibi imputandum est.

Virgo peperit, mundumque ad convivium invitavit; sed qui credit eam fuisse vitiatam, hie non est nobiscum.

Verus est ipsius Natus (h. e. *verum corpus assumpsit eius filius*), sed intactum reliquit sigillum virginitatis; qui aegre istud audit, ille non est nobiscum invitatus.

\*291 \* Si credas eam esse virginem et matrem, convivio accumbas; si vero contendendi pruritus damnum tibi intulerit, exeas nobisque cedas locum.

Si vero demonstrationem aliam quaeras ut persuadearis, non mihi grave videbitur tecum operam ponere, cum equidem inde proficiam.

Historia Mariae lux est quae expanditur super colles, quique tenebris obducitur, modo eam audiverit, per illam illuminabitur.

Puteus novus est ex quo fluxerunt aquae vitae, quique, quin fuerit effossus, protulit exundationes mundo sitienti.

Mater admirabilis est coniugio haud subiecta, cuius manibus impositus fuit infans qui medetur Adami gravamini.

O tu, qui dubio premeris circa sinum hunc admirabilem, veni, admirare nobiscum virginitatem inviolatam!

Ideo aegre credis, quia scandalis assuefacta est anima tua; age,

dubia abiicias et sapias nobiscum in simplicitate. Unam tantum foves cogitationem quae fidei adversatur, et te a professione veritatis disturbat; quippe ita cogitas: si *Maria* peperit corporaliter, quomodo transivit corpus per corpus quin hoc aperuerit? [...]

Tu es, o Maria, domus decora, aerarium thesaurorum, \* mater Solis quae peperisti lucem indefectibilem, cista ligata, porta clausa, divitiae obsigillatae, sanctuarium obsignatum, sinus in virginitate servatus!

\*295  
\*297

O Fili viventis, infans senex, fructus dulcis, puer admirabilis omnibus senior, recens nate ex matre tua et antique dierum, generationibus anterior et natus hodie, virtus Patris, fili virginis investigabilis! Similitudo tua in Adamo, in Heva typus tuus, in Maria stupenda tua virtus, in te ipso prodigium prodigiorum te consideranti existis!

Adam typum exhibuit virginitatis quae te portavit; Heva figura fuit mirabilissimae tum nativitatis; sancte te genuit sinus virginalis Mariae, atque in eo impleta sunt mysteria et typi haec tenus occulta.

Fortissimus saeculorum ingressus est in mundum per portam clausam, ut ex medio silentio tyrannum, qui terram vastatione repleverat, insequeretur.

Ad hanc tuam generationem corpoream respiciens Genitor tuus hominem ad imaginem divinitatis tuae creare voluit. Virginitati Mariae constituit Adamum *tanquam* imaginem, Filii vero similitudinem formavit in matre vitae, ubi sine coniugio nata et sine concupiscentia concepta fuit Heva. Quapropter virginaliter et mirabil modo peperit eam vir.

Itaque, imago Filii Dei et Adam et Heva fuere, quam quidem Pater in principio mundi Unigenito suo constituit.

Super eam portam, qua primum hominem in terram introduxit, filium suum delineavit naturalibus quibusdam \* inscriptionibus, mundoque ostendit ante heredem domus, ubi is in illam intraret, virginitatis portas minime fore aperiendas.

\*299

Ille igitur qui admittit et naturam et scripturam, discere debuit Mariae virginitatem non fuisse violatam.

Sileant nunc investigationes, scandala et sermones impuri de obsignato hoc Mariae sinu, clara luce fulgente.

Veritas iis omnibus os obturavit qui superflua finxerunt de utero isto gestante sanctitatem quae purificat immundos.

Erexit se doctrina ad gradum sublimem, liberrime loquens et sub calcaneis suis posuit scrutationes ipsi oblatrantes.

Descendit quippe Verbum, diei filius, super tenebras, filii vero noctis in splendore lucis congregati sunt (*abundarunt*) et *illico* dis-

persi; fugerunt dubitationis tenebrae a filia Davidis, et resplenduit anima virginis illibatae.

Virgo enim erat, cum Angelus illi loquebatur, et virgo quando concepit Unigenitum.

Virgo pura, quando habitabat in ea Oriens ex Patre, et virgo cum cresceret in utero suo infans.

Virgo portavit hunc heroëm qui portat creaturas, et virgo quando genuit virtutem Patris.

\*301 Lac virginale suxit ex ea Filius Dei, et virginaliter \*amplexata est ipsa novae vitae fructum.

In corpore suo virginali *adest* lac purissimum infanti seni, et in eadem eius virginitate via lucidissima soli orienti.

Virgo est Maria, et virginitas eius perpetua est. Benedictus qui eam in partu suo multiplici decore ornavit!

#### SERMO DE TRANSITU DEI GENITRICIS MARIAE

OC 91 Tibi qui pro amore suo celsitudinem inclinavit et ad terram descendit | corpusque induit et homo factus est ex filia David, | nate arcane, cuius celsitudines et profunditates plenae sunt, | reple me doctrina, cuius arcana sapientia mundum fecit. | [...]

1493

Abscondite, qui arcanior est, quin vel vigiles (angeli) eum vi deant, | orire in me humili, ut palam vociferer de genetrici tua. | [...] Hominum domine, qui homo in carne fieri voluit | devertitque in matre virgine, illustrium (parentum) filia et (eam) invasit, | o, qui in ea novem \* menses devertit, donec ad partum perveniret, | prof erat mens mea munera gloriae partui tuo abscondito. | O, quem per amanter cantilenis mulsit mater, quam elegit, | fac, ut lingua mea scaturiat omnes laudes suavitatis tuae. | Tibi, qui nos visitavit omnemque vitae cursum suae complevit, | da mihi, ut loquar de ex quiis Benedictae.

Multas mater tua passiones propter te toleravit | omnesque afflictiones eam circumdederunt in crucifixione tua. | Quot lamentabiles fletus et passionis lacrimas effuderunt oculi eius, | cum exequias tuas peragerent et intra sepulcrum inferrent (et) ponerent te! | Quot terrores in sepultura tua mater misericordiae vidit, | cum custodes sepulcri eam avellerent, ne tibi appropinquaret! | Passiones toleravit, quando in cruce te vidi suspensum | et τῆς λόγχη latus tuum tibi in Golgotha perforaverunt, | quando iudei sepulcrum obsignaverant, in quo positum erat | corpus tuum vivum et vitam dans et crimina remittens.

Atque huie matri, quae haec propter te toleravit, | finis (vitae)

advenit, ut in novum mundum migraret. | Tempus advenit, ut viam curreret, qua omnes generationes | cucurrerunt et ad consummationem magna cum perturbatione abierunt.

Cucurrit ea Adam ille primus omnium generationum | et Seth pulcher (ille moribus) et generatio filiorum eius rectorum priorum. |

\* Transierunt primi et venit generatio scelestorum | et dominus, \*<sup>93</sup> ut eos ex errore salvaret, descendit. | Invasit et devertit in gremio puro et pulchritudinis pleno | huius virginis, quae argumentum, en, nostris verbis praebet. | Novem menses in ea devertere et commorari non recusavit. | Atque tempus advenit, ut secundum τάξιν ad partum veniret. | Sponte natus est et in Iordane baptismum accepit | et virtutes operatus est et aegrotos sanavit et leprosos mundavit. | [...]

**1494** Ad matrem huius Christi Iesu, filii Dei, | mors venit, ut calicem gustaret. | Imperaverat Dominus exercitibus sublimibus, qui supra (sunt), | et λεγεῶσι flammeis, Seraphim igneis. | Descenderant per turmas dispositi vigiles in σχήμασι suis | et gloriose voce alta Alleluiaieorum carminum suorum decantaverunt. | Sponte congregati sunt et reges recti a generatione generationum | nec non iusti quoque et patres et reges recti, | populi, turmae illius prophetarum, quae gloriose decantabat, | alii aliis (respondentes) ut vates veritatis, | pontifices priores et omne τάγμα filiorum Levi | cum sacrificiis suis et redditibus suis et oblationibus suis. | Astitit divinorum illa turma prophetarum | et cum eis apostoli et evangelistae nec non doctores | et exequias peragunt virginalis corporis Benedictae, | ut abiret in (paradisum) Eden plenum beatitudinis divinae.

Accessit Iohannes ut verus magister domus | et exequias peragit lucidi corporis Beatae. | Duobus apostolis electis τῶν διαθηκῶν | creditum erat illud mysterium arcanorum. | Corporis filii eius exequias Nicodemus rectus peregit | et corporis huius exequias filius tonitru virgo peregit. | Convenerunt \* pastores cum gregibus suis super verticem montis | et sacerdotes lucidi et diaconi cum πυρῷ μαστι suis, | magis quam procella magnum (coeli) fornicem spiritus concutiebant, | et gloriose eitharis suis celsitudines et profunditates caneabant. | Lumen super locum fulsit, ubi devertebant | homines et vigiles ad exequias Benedictae peragendas. | Atque sicut dominus descendit et exequias Moysis servi sui peregit, | non aliter cum eis ipse exequias suae secundum carnis matris peragebat | super verticem montis intra nubes luminosas. | A Deo exequiae Moysis magni peractae erant, | nec non Mariae quoque illius super illum montem Galilaeorum | exequias vigiles nec non angeli (una) cum Deo peragerunt.

Accessit Ioannes iuvenis virgo et exequias peregit eius | purae matris, quae ipsi a salvatore nostro commissa est. | Mediator fuit inter Deum et homines, | cum vigiles magna (et) ineffabili pompa descenderent. | In cavernam lapideam, novum Nicodemi sepulcrum, | intulerunt (ibique) posuerunt filium huius Beatae | et hanc rursus matrem puram filii Dei | in cavernam sepulcralem, speluncam lapideam, intulerunt (ibique) eam posuerunt.

Coacta astitit omnis turma apostolorum, | cum re vera dominus eorum (una) cum eis exequias illius perageret. | Τάγματα et turmae nec non agmina filiorum luminis, | tumultuosa multitudo vigilum et ardentes coetus flammei | cum λεγεώσιν et divisionibus coelestium, | Cherubim metuendi, qui sub curru iuncti erant, | contremuerunt absque quiete, ut « Hosanna » cantantes collaudarent.

\*96 \*Socii Gabrielis, coetus magis incendio ardentes, | in responsoriis suis singula σχήματα commutabant (?). | Socii Michaëlis, quorum incubationes motibus (terrae) plenae sunt (?), | hodie Alleluiaiticis suis carminibus diem festum agunt et gaudent et laetantur.

Repletum erat coelum et ἀὴρ glorificatione | coelestium, qui currentes ad loca infera descenderunt. | Odor dulcis et delicatus fragraverat ex πυρῷ | coetum sublimium, cum in terram descendere agressi essent.

Fugerant daemonia et exercitus filiorum tenebrarum | et paululum quietis habuerunt omnes animae scelestorum. | Fugerant daemonia ab animabus, quae cum eis erant, | et respiratio τάγματι debili omnium impiorum contingit. | Turbati et impediti et perturbati erant, | quia signum viderunt, quod solus dominus operatus est. | Viderunt coelum domini coetus exercituum | et omnem ἀέρα odore dulci consecratum [...].

\*97 \*Hoc die Adam et Eva eius uxor laetentur, | quia filia eorum (eo) loco devertit, ubi congregati sunt.

Hoc die Noa et Abraham recti laetentur, | quia filia eorum eos in mansionibus eorum visitavit.

Hoc die Iacob senex lucidus laetetur, | quia filia, quae ex radice eius germinavit, eum ad vitam vocavit.

Hoc die duodecim recti filii debilis | valde laetantur et gaudent ea, quae eos visitavit.

Hoc die Iuda quoque valde laetetur, | quia ea ex lumbis eius filia exiit, quae vitam dedit.

Hoc die Ioseph et magnus Moyses laetentur, | quia una puella omne γένος suum ad vitam vocavit.

Hoc die Aaron laetetur et Eleazar | et omnis tribus filiorum Levi cum pontificibus eorum.

Hoc die David, pater conspicuus, laetetur, | quia filia ex eo (prognata) coronam decoram in capite suo posuit.

Hoc die Samuel confiteatur (una) cum Ieremia, | quia filia Iudae fecit, ut ros super sepulcra eorum destillaret.

Age, Ezechiel, visionum propheticarum perite! | Hoccine quod factum est, in prophetia tua scriptum est?

Hoc die Isaias quoque laetetur, | quia ea, de qua prophetizavit, en, in regione mortuorum eum visitat.

\* Hoc die omnes mortui e sepulcris suis | capita sua erigant, quia <sup>98</sup> lumen super se fulgere viderunt.

Mortem trepidare et a se fugere viderunt | rursusque portas celsitudinis profunditatibus terrae patere.

Prophetae (et) apostoli et martyres et sacerdotes congregati erant | nec non doctores et patres rectique priores.

In celsitudine vigiles, in profunditate homines, in terra gloria, | dum Maria virgo ut (quilibet) defunctus sepelitur!

Lumen ortum est super illum coetum discipulorum nec non (super) socias eius et cognatas eius et filios γένους eius.

Coetus coelestium sanctificationibus suis comitati erant | animam lucidam huius matris filii Dei. | Seraphim ignei animam, quae (de corpore) migraverat, circumdabant | vocemque magnam iubilationum suarum extollebant. | Clamaverunt et dixerunt: « Extolite portas, omnes principes vestri, | quia mater regis in thalamum luminis ingredi vult ».

Celsitudo dulci angelorum cantu plena erat | et profunditas per discipulos perturbata, qui passionis pleni (erant). | Uno tono ecclesiae celsitudinis et profunditatis clamaverunt, | quia neque superi neque inferi sermonem de ea finiebant. | Vocem extolerunt τάξεις ecclesiae supernae | altera alteri (respondens), quae laudibus suis iubilant.

Pluviam vitae ὁ ἀληφ (de)posuerat super ossa | filiorum ecclesiae filiae Aramaeorum, quae eam non negavit (?). | Coronam decentem plexit (et) posuit in capite suo sublimi, | in qua margaritis pretiosis compositum (erat) nomen Christi regis super Golgotham crucifixi, | vitamque dantis et clementiam affluenter omnibus ab ipso potentibus tribuentis.

\* Atque mihi peccatori, qui non satis valeo ad laudes eius | matris misericordiae, quae te carnaliter genuit, | in magno tuo iudicio clementiam suavitatis tuae videam | et cum sanctis, qui coram ea festa celebraverunt, tibi canam.

Precibus eius fac, ut devertat tranquillitas tua, fili Dei, | in celsitudine et profunditate et inter omnes reges terrae. | Fae, ut cessent bella, et tentationes et καιρούς (angustiarum) transfer | et quie-

tem serenitatemque maria transfretantibus largire. | Aegrotis medere aegros sana, esurientes satia | et pater orphanis esto, quos mors spoliavit. | Pro clementia tua daemonia detrude, quae homines vexant, | et ecclesiam tuam in quatuor (orbis) partibus extolle, ut tibi canat. | Sacerdotes custodi et diaconos munda | et iuventuti dux et custos esto. | Sponse interfecite tibi (sit) glorificatio ex omnibus oribus | et super nos misericordia tua omnibus temporibus. Amen et Amen.

## DE S. VIRGINE DEI GENITRICE MARIA

<sup>BO</sup>  
<sup>I,</sup> 310 21. Si qua macula, aut defectus animae eius inesset, [Filius Dei] aliam utique sibi matrem quaevisisset, quae omnis labis expers esset. 1495

<sup>BO</sup>  
<sup>I,</sup> 311 22. Filius Dei factus est filius hominis absque conversione. Filius Dei, Filiusque hominis, unus idemque est. Ex summo, et ex infimis unus Unigenitus. In Mariae sinu naturas ad unionem adduxit, ambasque unum fecit, sicut scriptum est. Corpus sibi assumpsit, filiusque hominis ex ventre factus est, et corpore cuncta sustinuit, quum Deus esset. Noli duos numerare, alterum Deum, et hominem alterum: Unus est enim Christus, Filius hominis idemque Deus. Ipsi, et in ipso inest Divinitas, atque Humanitas, eiusque sunt tum prima, tum novissima, nec in partes, aut numeros dividitur: Unigenitus enim est, totusque Unus, si ipsum bene noveris. Non partem eius genuit Pater, et partem Maria: sed totus a Patre, totusque a filia hominis genitus est. 1496

## HORMISDA PP. († 523)

## EPISTOLAE

<sup>PL</sup>  
<sup>63,</sup> 379 V. Ad Anastasium Imperatorem. – [...] Totum pro redintegratione fidei et Ecclesiarum pace facere, libenter amplectimur: si tamen maiorum nostrorum diffinitio, et sanctorum Patrum in suis radicibus inconcussa permaneat: si anathematizetur Nestorius cum participibus suis, qui evacuans divinae sacramenta naturae, beatam virginem Mariam nudi hominis mentitur esse genitricem; oblitus angelicae annuntiationis, per quam mundo innutuit, quia quod ex ea nasceretur vocandum esset sanctum, Filius Dei. Facessat impiorum tam contumeliosa in Deo honorificentia: quoniam sic est in utero virginis operata divinitas, ut ex ea unitas ibi procederet carnis, animaeque humanae, increata quidem, sed non confusa \* connexione substantiae.

<sup>PL</sup>  
<sup>63,</sup> 514 LXXIX. Ad Iustinum Augustum. – [...] In novissimis temporibus 1498

## SEVERUS Antiochenus (ca 465 † 538)

LIBER CONTRA IMPIUM GRAMMATICUM<sup>1</sup>

**1527** Cap. IV. [...] [ATHANASIUS]: « Quisnam infernus eructavit ut diceretur corpus ex Maria *natum* consubstantiale esse divinitati Verbi, aut Verbum in carnem et ossa et capillos et in totum corpus mutatum esse? ».<sup>3</sup>

\* O qualem accusationem, quam astutam, quam inevitabilem \*<sup>17</sup> Patrumque testimoniis munitam! Potes ergo dicere, o *Grammatice*, — nam ad me respicit totus sermo tuus, sicut in multis locis libelli tui confessus es, — me ipsis verbis declarasse consubstantiale Deo Verbo esse corpus ex Maria virgine deipara assumptum, anima rationabili animatum, ipsi *Verbo* hypostatice unitum. Etenim *non in abscondito locutus sum, neque in loco terrae tenebroso*,<sup>4</sup> sicut alicubi dixit Isaias propheta, id est, is qui in illo loquebatur, pudorem inquietiens audaci et caeco ad evidentia. Appone hic et ostende quid de accusatione tua in me inveneris. [...] Vasa enim domus tuae sunt haec, prorsus autem aliena a *domo* mea: *scilicet* dicere consubstantiale esse Deo Verbo sanctum corpus ex Maria assumptum, atque *dicere* immutabilem et increatam Unigeniti divinitatem in carnem mutatam esse, aut rursus carnem mutatam esse in divinitatis substantiam.

Cap. VI. [...] Iterum de iisdem ineptiis stultisque calumniis sollicitus es, quas incipiendo in libello *tuo* prius posuisti. Quem enim nostrum argues, — quod antea saepe dixi, sensisse, id est, delirasse unam substantiam esse Unigeniti divinitatem et carnem, quae ex deipara virgine Maria *sumpta est*, nobisque consubstantialis est et rationabiliter animata ipsique *Verbo* unita?

Cap. XVII. [...] *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*,<sup>5</sup> 115 quam *unionem* etiam incarnationem et inhumanationem et compositionem vocant, quatenus Deus Verbum, una hypostasis, unam particularemque carnem rationabiliter et sapienter animatam, ex deipara Maria *ortam* sibi hypostatice univit, dum Pater et Spiritus sanctus cum carne non compositi sunt, neque inhumanati sunt;

<sup>1</sup> Opera omnia Severi sapiunt monophysimum. Interpretatio latina est J. Lebon. Perantiqua invocatio mariana *Sub tuum praesidium* est Severi (Al 519).

<sup>2</sup> Series IV, tomus 4, p. 16.

<sup>3</sup> Vide n. 273.

<sup>4</sup> Isa XLV, 19.

<sup>5</sup> Io. I, 14.

*atque tandem si* cuius est incarnatio et inhumanatio atque compositio, illius evidenter est etiam unio: igitur non substantiarum facta est unio, sed unius hypostasis Dei Verbi ad carnem particularem, anima menteque praeditam, ex Virgine deipara *ortam*.

143 Cap. XXI. [...] Igitur ad hypostaticam unionem et naturalem coniunctionem id pertinet, quod hanc carnem anima menteque praeditam, quae in purissimo utero deiparae Virginis concepta est, in ipsa cum Deo Verbo unione substitisse dicimus et coagmentationis initium accepisse, ita ut concurrerit cum unione ad Verbum saeculis antiquius carnis adductio ad existentiam.

174 Cap. XXVIII. [...] Ex una enim hypostasi Dei Verbi uniusque rursus carnis, ex deipara Maria ortae, rationali anima animatae facta est hypostatica unio, ex qua unus Emmanuel *esse* intelligitur atque dicitur. Neque quia hypostasis Verbi est in substantia et in communi significatione divinitatis, quam plene et perfecte et absque defectu cum Patre et Spiritu participat et secundum quam illis consubstantialis est, ideo etiam hypostases quae cum ipsa *Fili hypostasi* substantiam et cognationem divinitatis participant. Patris dico atque Spiritus sancti *hypostases*, cum ipsa flunt carne induitae, ita ut censeantur et ipsae incarnatae. Neque rursus quia caro ex Maria *orta*, anima menteque praedita, quae Verbo hypostatice unita est, in substantia et generica significatione humanitatis est, atque *eas* perfecte et sine defectu etiam participat cum iis *carnibus*, quibus consubstantialis est, ideo nos quoque id habemus, quod cum ipsa Verbo hypostatice uniti sumus, quia humanitatis et communis substantiae definitionis cognatione cum ipsa *Christi carne* coniungimur. Ipsae enim secundum genericam significationem substantiae, — \* dico: divinitatem, id est, sanctam Trinitatem, et humanitatem, id est, totum humanitatis genus, — absolute distant et separantur, minimeque inter se componuntur; Christus autem non ex genericis substantiis componitur, sed ex una Dei Verbi hypostasi et ex una carne, ex deipara Virgine *orta*, rationaliter animata, estque unus ex duobus: qua Deus Verbum, Patri et Spiritui homogeneus est, id est, eandem cum illis substantiam participat, et consubstantialis; qua incarnatus autem, homogeneus est et nobis, id est, eandem cum hominibus substantiam participavit et est nobis idem consubstantialis.

\*175

CSCO IV-5, 74 Cap. VII. [...] *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.*<sup>1</sup> Cum 1528

<sup>1</sup> Io. I, 14.

• CSCO IV-4, 18, 24, 26, 32, 40, 58, 81, 93, 103, 105, 116, 129, 131, 138, 142, 144, 152, 173, 176, 198, 210, 215.

ergo immutabiliter factum est caro et ex Maria deipara secundum carnem natum est, tunc dicitur quod illud Deus et Pater Dominum et Christum fecit; secus enim ei non conveniret ut ungeretur, si factum non fuisset homo, cui convenit ut ungatur. Unctum est autem proprio suo Spiritu, quem quidem secundum substantiam ut Deus in se habebat, sed recipiebat idem ipse ut Deus, propter nos [...]

Tunc ergo factus est Christus et Dominus, cum etiam factus est caro, id est, incarnatus est immutabiliter ex Maria, et ex ea secundum carnem natus est.

Cap. XIV. [...] Cum autem dignatum est propter nos homo immutabiliter fieri, manendo Deus; cum ineffabiliter obumbravit, ut scriptum est, Virginem Dei genitricem, ex illa et ex Spiritu sancto carnem nobis consubstantialem, anima et mente praeditam, coniunctione secundum unionem naturalem sibi univit. Ideo enim etiam hypostaticam vocamus unionem.

168

#### ORATIONES AD NEPHALIUM

**1529** Oratio I. [...] Doctrinis autem deiferorum Patrum sine adulteratione adhaerentes, Dei gratia sumus in bona sententia et super petram stamus, confitentes Deum Verbum incarnatum esse ex sancta Dei genitrice semperque virgine Maria et de Spiritu sancto, carne nobis consubstantiali animata anima rationabili et intelligente: nam consubstantialis nobis est Virgo, ex qua Spiritus sanctus hoc sanctum corpus plasmavit; non enim ex humano semine erat, absit. Itaque eundem confitemur consubstantialem Patri secundum divinitatem, eundemque consubstantialem nobis secundum inhumanationem: eundem dicimus, non autem aliud atque aliud.

CSCO IV-7, 6

[...] Si quis e caelo dixerit carnem Domini descendisse, vel per Virginem quasi per canalem transisse, non autem dixerit eam ex illa secundum legem conceptus, licet absque viro, plasmamat esse, anathema sit. Neque enim conceptus, neque nativitas \* ex Maria, neque conversatio cum hominibus, neque crux, neque sepultura, neque resurrectio ex mortuis, neque ascensio in caelum secundum phantasiam evenerunt, sed omnia secundum veritatem: vera enim sanatione indigebamus nos, qui vere peccavimus.

\*\*7

- CSCO IV-5, 5, 29, 39, 75, 76, 78, 103, 168, 169, 209, 210, 211, 225.  
IV-6, 22, 28, 35, 36, 41, 55, 57, 99, 104, 105, 106, 107, 109, 112, 113, 126, 129, 130, 141, 143, 152, 176, 188, 189, 197, 211, 213, 217, 218, 219, 224, 225, 235.

CSCO  
IV-7, 8 Oratio II. Nos autem, secundum salvificum et vere divinum symbolum CCCXVIII *Patrum*, credimus et confitemur Filium Dei

\*9 Unigenitum, consubstantiale Patri, per quem omnia facta \* sunt, descendisse in fine dierum et incarnatum et inhumanatum esse, id est, unitum esse carni rationabilem et intelligentem animam habenti, secundum unionem veram et hypostaticam, ex Spiritu sancto et semper virgine Dei genitrice Maria, unamque eius esse naturam etiam cum incarnatum est Verbum, quemadmodum instituerunt nos deiferi et mystagogi *doctores Ecclesiae*.

1530

## EPISTOLAE

CSCO  
IV-7, 83 Ep. II. [...] At vero, apud hypostaticam unionem et naturalem

Deoque convenientem compositionem, quia in ipsa ad Verbum unionem existentiam habuit caro rationabiliter animata, quae de Spiritu sancto et ex Dei genitrici semperque Virgine Maria assumpta est, neque seorsum ante unionem ad Verbum substitut, ipsum Verbum immutabiliter et inconvertibiliter infans factum creditur, cum manserit id, quod erat, neque id, quod assumpsit, converterit aut mutaverit, et progradienti incremento et profectui perfectaeque conceptioni vacasse atque sic gloriose natum e sancta Virgine, quae etiam post partum virgo permansit atque inter matres computata est, quin decideret a glorificatione virginitatis. Hic autem quomodo aliquis audebit duas naturas aut duas hypostases dicere eum, qui ex duobus gloriose unus absolutus est Christus? Tempus enim nullum videbit, ex quo Verbum Virgini obumbravit, iuxta vocem evangelii, quo non fuerit Ipsi corpus illud, anima rationabili praeditum, quod Ipsi unitum est.

1531

## HOMILIA

## DE SANCTA DEI MATRE SEMPERQUE VIRGINE MARIA

SR  
10, 212 Volenti mihi ad virginem matrem oculos attollere, perque dictas de ea sententias suspenso ob reverentiam vestigio incedere, quae-dam veluti a Deo vox deferri videtur, measque aures clamore valido impellere his verbis: *Cave ne huc accedas; tolle calceos de pedibus; locus enim in quo insistis, terra sancta est.*<sup>1</sup> Reapse oportet mortali qualibet carnalique phantasia, tamquam calceis, mentem illam semet exuere, quae ad divinarum rerum contemplationem conseedere nititur. Quid vero cogitari augustius vel excelsius potest, quam Dei mater? Certe qui ad eam accedit, ad sanctam veluti terram sic

1532

<sup>1</sup> Exod. III, 5.

appropinquat, ut ipsum denique caelum attingat. Quamquam enim Maria de terra est, et humanam naturam nobisque consubstantialem sortita, attamen intemerata est omniue macula carens: quin adeo de suis visceribus, ceu de caelo, Deum protulit factum hominem, quem ipsa divinitus concepit ac peperit: non quod divinam naturam ipsi dederit, qui de ea natus est; is enim quolibet principio caret, omniue re mundiali vetustior est; sed quia ex se, per ineffabilem arcanumque Spiritus sancti descensum, humanam naturam illi contulit, qui nihilominus sine ulla mutatione permansit. Quod si tantae rei rationem serutari velis, omnem tibi vestigacionem paecludit virginitatis signaculum, in partu etiam incolume. Res profecto inexplicabilis, arcana, atque ineffabilis, quam qui considerat, attonitus cum Iacobo exclamat: *Quam terribilis est locus iste! Haec utique ianua caeli est.*<sup>1</sup>

1533

Deus olim promulgandae legis causa in montem Sinai descendit. <sup>SR 10, 213</sup> Gloriae eius species, prout in Scriptura narratur, instar ignis ardantis erat in illius montis cacumine, coram filiis Israhel: quamquam ea reapse nonnisi quaedam divinae gloriae ostentatio fuit, non autem Dei natura aut persona. Comitabantur visionem illam fumus, ac densissima nebula, acutus bucinae sonitus, fulgurumque splendor; quae omnia terrebant atque a monte circumstantes arcebant, quos alioqui puros admodum atque mundos esse oportebat. Quin adeo animalibus ipsis interdictum accessu fuit, poena proposita ut vel saxis opprimerentur, vel sagittis confixa caderent. Dictum est enim: *Iumentum quoque si montem tetigerit, lapidibus opprimetur, vel iaculis confodietur.*<sup>2</sup> Ita Deus se gessit, ut Hebraeos terreret: is quippe ad ipsos ceu servos adhuc captivosque aegyptiacae idolatriae accedebat; quapropter undique terriculamenta incutiebat, ut eos timore compleret, variisque vocibus territos, promulgatae legi obedientes efficeret. Id pae oculis habens Paulus aiebat iis qui evangelio crediderant: *non enim accepistis spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis.*<sup>3</sup> Scilicet hoc Deus curavit, ut primo homines timore erudiret, dataque lege emendaret; qui cum postea de servili conditione exissent, tunc demum ad eos, tamquam ad filios, maiorem quadam perfectione et benignitate accessit.

Iam quum homines prima hac correctione haud meliores evassissent, immo veluti abyssu quadam atque alluvione hanc gratiam mersissent, Deus nihilominus ex abundantia benignitatis suae ma-

<sup>1</sup> Gen. XXVIII, 17.

<sup>2</sup> Exod. XIX, 12, 13.

<sup>3</sup> Rom. VIII, 15.

\*214

iorem adhuc et copiosiorem gratiam iis concendendam putavit, cum excelsa adoptionis munere, ut eos sibi amore subiiceret, quos terrore minime pellegerat; atque ut electos filios efficeret, qui servi improbi fuerant. Hoc nimis Apostolus sapienter ait: *Ubi abundavit peccatum, ibi superabundavit gratia.*<sup>1</sup> Illie spiritus servitutis, et mons ob pompaticam Dei gloriam ardens, Moysesque minister; heic autem adoptionis gratia, rationalis mons Virgo, quae puritate sua, et Spiritus sancti descensu radiis veluti coruscabat. Haud gloriae Dei tantummodo fuit heic ostentatio, sed Deus \* ipse, Filius ille, Verbum illud, imago illa et figura personae Patris. Hic videlicet non montis tantummodo cacumen tetigit, sed immutabiliter incarnatus est, et de Virgine natus: Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis. Itaque per se ipse operatus est, suamque nobis gratiam suppeditavit, nullo utens ministro: neque enim congruum erat, ut adoptionis gratiam servi opera suppeditaret. Quam ob rem Christus ipse de magnitudine divini auxilii glorianter dixit: *non veni ministrari sed ministrare.*<sup>2</sup> Namque ipse consubstantialis Filius Dei invisibilis, fit filius hominis; atque ita nos per gratiam caelestis patris filios efficit, qui de terra sumus. Ipse sibi vilitatem sumpsit, ut nobis impertiretur nobilitatem: quod vile erat nobili copulavit, de matre coelibe ortus. Hic est lapis ille, quem Daniel propheta abscissum de monte vidit absque manuum opera, nempe incarnatum in Virgine sine semine virique commercio.

Quidnam igitur magis mirer? Montemne qui quum exteriore sua forma deterior sit, tamen ob virginitatem, divinumque mysterium in eo completum, excelsus fit ac sublimis? An lapidem potius de vertice lapsum, qui vertex summitasque est cuiuslibet principatus, dominationis, ac potestatis? Hic autem sectus de monte lapis, caro fieri voluit, ut universae ecclesiae fundamentum fieret: aliud enim fundamentum nemo potest ponere, praeter hoc quod est positum, nempe Christum Iesum. Nonne amoris ergo, pacisque inter homines efficiendae descendit Verbum, lapisque desectus fuit? Quamquam vero hic mons per se terribilis, nunc facilis accessu est, num idcirco emundare nosmet haud debemus, ut sic accedere ausimus? Quis, inquam, dum a monte cernit haud receptum Deum tamquam a Sinai, sed generatum, non admiratur, dum illapsum in montem Deum, nasci cernit ex eodem factum hominem sine ulla transformatione? [...] \* Verumtamen adorabo propitiationem meam Christum, qui in Virgine conceptus fuit, mundique peccatum abstulit.

<sup>1</sup> Rom. V, 20.

<sup>2</sup> Matth. XX, 28.

Sed enim haec mihi cogitanti, videtur deiparae Virginis commemoratio cor meum luce perfundere, atque instar ignis inflammare, omniq[ue] odorum ac thymiamatum suavitate replere. Quamobrem mei oblitus atque attonitus, cupiditate quadam pertrahor ac rapior; moxque iterum subsistens mecumque reputans, lumen incipio haurire a pulchritudine typicarum imaginum, quae in intimo sanctuario sunt, atque Emmanuelem considerare, qui multifariam portenditur ac demonstratur. In primis arcam intueor quae puro auro constat lignoque carie minime consumendo, quod quidem undique introrsum auro tegitur, quin ulla pars eo decoramento careat. Nonne hic est Christus, qui unum quid est ex duobus, ex deitate scilicet tamquam auro rutilantissimo, atque ex humanitate, quae corruptioni non est obnoxia, ligni instar carie immunis, propter immaculatam et sine semine conceptionem Dei Verbi in Virgine per sancti Spiritus operationem; ita quidem, ut non carnem inanimem, sed rationali anima vivificatam sibi copulaverit? Hoc est, inquam, aurum quod intus forisque lignum operiebat.

Ac mihi profecto videor his in rebus magis magisque veritatem \* typi dignoscere. Illud enim imputribile lignum, reapse naturale lignum erat, eiusdemque et generis et materiae qua cetera ligna constant, quae vi corruptionis labefactantur ac pereunt; id tantum peculiare propriumque habuit, quod carie non vincebatur. Sic nimirum Christi corpus, rationali anima praeditum, nostro generi nostraeque naturae consubstantiale est; in hoc tamen differens, quod ea corruptione, quam peccatum gignit, immune invictumque est, quia de Virgine conceptum fuit, et cum Verbo Spiritu sancto operante copulatum. [...]

\*216

SR  
10, 217

**1534** Similiter pyxis illa, quae in arca concludebatur, invitat me et quodammodo pellicit illo suo radiorum mysticorum lumine, ut aliam Emmanuelis imaginem spectem [...] Cum itaque de caelo manna ad instar imbris descendit, atque illa pyxide, quae in hac inferiore regione fabricata fuerat, conclusum est, tunc ipsum manna Verbum divinum portendit, quod de caelo illapsum, haud inde secum carnem gestavit, verum in his inferioribus locis caro factum est, quin tamen semet immutaverit.

SR  
10, 218

**1535** Rursus virga, quae sponte germinavit (ut varia spiritualium sensuum copia utamur) Christum ipsum denotat, qui de Iesse ac Davide pullulavit in carne; cuius ope genus nostrum olim culpa infirmatum et marcidum floruit, germina protulit, caput erexit; de quo vaticinans aiebat Isaias: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.*<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Isa XI, 1.

<sup>SR</sup>  
10, 219 Attamen vel ipse exterior Deiparae ornatus satis est luculentus, atque ipsi propemodum interiori comparandus. Ipsa enim fermentum est formae nostrae; radix eius verae vitis, cuius nos extitimus palmites, pares facti in baptismatis germine, quod est reconcilationis Dei cum hominibus complementum. Idecireo caneabant angelii: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, inter homines bona voluntas.*<sup>1</sup> Debet igitur Virginis commemoratio nostros animos excitare, reputantes in quanto quamque inconciliabili odio fuerimus, et ad qualem quantamque pacem atque concordiam per eius intercessionem vocati. Quid ni vero omnes ita nos gerimus \* vivimusque, uti par est decetque gloriam Dei incarnati, qui tanta nos caritate dignatus est?

\*220

Vobis item, qui a me edocti, Deiparam sanctum illud sanctorum esse, quod post alterum velum iacet, cupiditate incensi estis, ut eius anterius tabernaculum, id est sacra eius aedes, additis columnis amplificetur; vobis, inquam, quid aliud superest, nisi ut efficaci voluntate manuque rem aggrediamini, captoque ab Israhelitis exemplo, copiosa dona offeratis?

### S. CAESARIUS Arelatensis (470/471 † 542)

#### SERMONES <sup>2</sup>

<sup>PL</sup>  
39, 1800 Sermo 28, 2. [...] Sicut enim uva illa Christum Deum figuravit; ita et terra repromotionis, in qua natus est, sanctae Mariae videtur imaginem praetulisse. In ipsa enim impletum est illud quod scriptum est, *Veritas de terra orta est.*<sup>3</sup> Quomodo autem beata Maria non fuit terra repromotionis, quae per prophetam multo ante promissa est? Nam per beatum Isaiam Dominus eam ante multa annorum spatia repromisit; sic enim ait: *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium.*<sup>4</sup>

<sup>PL</sup>  
39, 2195 Sermo 244, 1. [...] Credite et in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum. Credite eum conceptum esse de Spiritu sancto, et natum ex Maria virgine, quae virgo ante partum, et virgo post partum semper fuit, et absque contagione vel macula peccati perduravit.<sup>5</sup>

<sup>PL</sup>  
39, 2327 Sermo 303, 7. [...] Virgines ergo cogitantes Mariam, viduae

1539

<sup>1</sup> Lc. II, 14.

<sup>2</sup> Exstant in App. operum S. Augustini, PL 39. Vide alias locos Caesarii nn. 903, 929, 950, 955, 956, 985, 987.

<sup>3</sup> Ps. LXXXIV, 12.

<sup>4</sup> Isa. VII, 14; CCL CIII, 444.

<sup>5</sup> CCL CIII, 51.